

HORTULUS ANIMÆ

Precationes
in usum omnium eruditorum
præsertim studiosæ iuventutis.

Collegit et edidit

Dr. Caelestinus Wolfsgruber
O. S. B.



Augustae Vindel.
Typis et impensis Instituti litterarii Dr. M. Huttler.



Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum. (Zach. 12, 10.)

C

HORTULUS ANIMÆ

Precationes
in usum omnium eruditorum
præsertim studiosæ iuventutis.

Collegit et edidit

Dr. Caelestinus Wolfsgruber
O. S. B.



Augustae Vindel.
Typis et impensis Instituti litterarii Dr. M. Huttler.
1885



Imprimatur.

Augustae Vindel. die 14. Iunii 1884.

Fr. Ios. Heim,
Vicarius in spirit. generalis.

Index generalis.

Dies sacrata.

Hebdomas sanctificata.

Dominica: Cultus ss. Trinitatis.

Sacramenta.

Index specialis.

Cantica.

Hymni.

Litaniae.

Psalmi.

Symbola.

Vere novit recte vivere, qui recte novit orare.

S. Augustinus, serm. 55. de psalm. 118 n. 1. fol. V. pag. 2. ed. Maur.

Orandi facultate homo ceteris huius terrae procul dubio longe antecellit creaturis. Licet enim visibilis hic mundus et multiformis innumeris varietatibus natura, quem amare non potest, cum non habeat cor, nec cognoscere, cum non habeat mentem, Auctorem suum quodammodo ordine suo pulcherrime vigente praedicare ac benedicere videatur, proprie tamen ac vere solus homo adeo praelatus est, ut adorare ac celebrare possit Dominum suum ac Factorem invisibilem. Oratione, qua communicamus cum Deo angelisque exaequamur, magnam partem efficitur nostra excellentia. Tollas orationem, privas hominem summo bono. De quo audiamus Ioannem Chrysostomum scribentem:[1] *»Cum videro quempiam non amantem orandi studium nec huius rei fervida ferventique cura teneri,*

---

[1]) Hom. 23 in Matth. n. 4.

continuo mihi evidens est, cum nihil egregiae dotis in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adhaerentem cultui divino idque in summis damnis numerantem, si non frequenter oraverit, coniecto talem omnis virtutis esse plenum ac Dei templum.« Vere anima, quae non orat, est ut avis fractis pennis humi manere coacta.

Cum orandi facultas iam in natura humana sit fundata, non est mirum, in omnibus populis reperiri precantes. Precationes effuderunt erga deos suos gentiles eas, quarum ne Christianum quidem pudeat hominem, et apud Iudaeos exstiterunt singularia illa orationum exemplaria, psalmi. Sed nec pagani nec Iudaei vere oraverunt, cum illi, ut ait doctor gentium, »nescirent, quid orarent, sicut oporteret«,[1] his vero aperte plenitudo temporum pronuntiata esset, »qua Dominus effusurus esset super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum«.[2]

Quod impletum est per Iesum Christum, qui fuit primus vere orans. Saepius tradunt sancta evangelia, Iesum orationi incubuisse,

---

[1]) Rom. 8, 26.

[2]) Zacharias 12, 10.

immo totas noctes orando pervigilasse.[1] *Quanto putamus eum oravisse spiritu, quanta devotione, quanto fervore! Colligere licet ex his, quae narrat sanctus Lucas:*[2] *»Cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum« —, simili cum ardore ac devotione orare desiderans — »Domine, doce nos orare.« Profecto, tunc non solum apostolus ille, sed universus mundus in eo Iesum adiit dicens: »Domine, doce nos orare!« Et docuit Iesus eos orare neque nunc desinit docere per sanctam ecclesiam catholicam, in qua vivit semper in saecula.*

Exinde autem omnes, qui Dei interiorem consuetudinem amicitiamque gustaverunt, magni et assidui in oratione fuerunt. S. Benedictus, e. g., vir plenus spiritu et gratia Dei, ut Gregorius M.[3] *refert, erectis in caelum manibus stans ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Quin immo cotidie verum esse videmus, qualis sit oratio hominis, talem quoque eius vitam esse. Fieri enim non potest, ut quem pigeat orare, eum non pigeat bene ac sancte vivere. Hinc sancta*

1) Luc. 5, 16; 6, 12. Matth. 26, 39. 42. 44.
2) Evangel. 11, 1.
3) Dial. 2, 4.

mater ecclesia, Christi exemplum secuta, qui discipulos suos certam orandi normam docuit, et ipsa certis precationibus utitur, ex quibus pulcherrimas in hoc hortulo collectas habes, unde decerpas tibi quoscumque vis flores iucundissimos.

Vere excelsum et salutare gratumque est[1] *si non solum oramus »praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati«, sed etiam ipsius Christi et ecclesiae verbis. Ita enim fit, ut animae piae toti ecclesiae orationis vinculo coniunctae Deo velut ex uno ore laudum atque gratiarum officia peragant ac velut ex uno corde ad Deum tendant, mutuo accipientes et reddentes, amantes et redamantes.*

Quare si orationis nostrae volumus fructus uberrimos percipere, oportet instantissime cum ecclesia oremus. Hanc enim impetrandi summam efficaciam habet talis oratio ex Dei promissione irrevocabili. Ita enim nobis loquitur s. scriptura: »Invoca me in die tribulationis, et eruam te.[2]*« »Tunc invocabis et Dominus exaudiet; clamabis et dicet: Ecce adsum.*[3]*« »Eritque antequam clament, ego*

1) Oratio missae.
2) Psal. 49, 15.
3) Isaias 58, 9.

exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam.[1]« »*Petite et accipietis.*[2]« »*Petite et dabitur vobis. Omnis, qui petit, accipit.*[3]« »*Si petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*[4]« *Idem testantur s. patres. S. Augustinus*[5]: »*Oratio clavis caeli. Ascendit precatio, descendit Dei miseratio.*« *Immo digne orantes multo plus impetrant quam postulantes. S. Bernardus*[6]: »*Dico vobis, quia ipse, ad quem oramus, non parvi pendit orationem nostram. Priusquam egressa sit ab ore vestro oratio, ipse scribi eam iubet in libro suo. Et unum indubitanter e duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus aut quod noverit esse utilius.*« *In specie devota oratio hosce nobis affert fructus. Oratio illuminat mentem. Fieri enim non potest, ut quis cordis oculos in Deum, qui lux est, attente defigat, quin ab eo illustretur. Hinc Davides rex ait*[7]: »*Accedite ad eum et illuminamini.*« *Oratio fiduciam auget. Quo quis enim cum alio frequentius*

1) Isaias 65, 24.
2) Ioan. 16, 24.
3) Luc. 11, 10.
4) Ioan. 16, 23.
5) serm. 226. de temp.
6) Quadrag. serm. 5. n. 5.
7) Ps. 33, 6.

loquitur, eo fidentius ad eum accedit. Hinc catechismus Romanus docet[1]: »Vult nos Deus cotidie rite petendo petere fidentius, vult, impetratis iis, quae postulamus, in dies magis testificari et praedicare suam in nos ipsos benignitatem.« Oratio denique continuata dulcescit et parit delectationem ineffabilem atque consolationem, quia cum Deo, fonte inexhausto gaudii et consolationis, animum coniungit. Quam ob rem sic locutus est Dominus:[2] »Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.«

De his maximis orationis fructibus optime scribit s. Chrysostomus:[3] »Ut radiis solis exorientibus ferae omnes fugantur et in sua lustra discedunt, ita, ubi tamquam radius quidam ex ore nostro linguaque oratio sese effuderit, cum mens illuminatur, tum expertes rationis ac belluinas perturbationes aufugiunt et abiguntur atque in suos specus abscedunt, si modo diligenter, si attento animo, si mente vigilanti oraverimus, tum licet adfuerit diabolus, abigitur, licet daemon, recedit. Oratio est maeroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetuae voluptatis,

---

1) Part. IV. c. 2. n. 8.
2) Ioan. 16. 24.
3) Homil. 7. de incomp. n. 7.

philosophiae mater; qui diligenter potest orare, licet omnium sit pauperrimus, tamen omnium est ditissimus, sicut qui oratione destitutus est, licet in ipso regio throno sedeat, omnium est pauperrimus. Est virtus eius (orationis) inaestimabilis et efficax ad omnia proficua impetranda et nociva removenda. Si vis enim patienter tolerare adversa, sis homo orationis. Si vis pravas affectiones conculcare, sis homo orationis. Si vis astutias satanae cognoscere atque eius fallacias vitare, sis homo orationis. Si vis laetanter vivere in opere Dei et laboris et afflictionis viam incedere, sis homo orationis. Si vis spirituali vita te exercere et carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis. Si vis vanas muscas cogitationum effugare, sis homo orationis. Si vis animam tuam sanctis et bonis cogitationibus, desideriis, fervoribus et devotionibus impinguare, sis homo orationis. Si vis cor tuum virili spiritu et constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis. Denique si vis vitia exstirpare et virtutibus imbui, sis homo orationis.«

Sed, carissime lector, oratio cum bona actione iungatur necesse est. Irritae enim sunt preces, quas pia vita non sequitur, et non obtinebimus, quod petimus, nisi fecerimus,

quod praecipit Deus. Unde et s. Gregorius M. ait:[1] *»Utraque haec apud Deum necessario sibi congruunt: ut et oratione operatio et operatione fulciatur oratio.« Hinc enim Ieremias ait: »Scrutemur vitas nostras et quaeramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in caelos. Vias enim nostras scrutari est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat. Quisquis vero operatur et non orat, manus levat et cor non levat.« Econtra non desperandum de salute et conversione peccatoris, dum orat, cum valeat illud praeclarum s. Augustini verbum: »Vere novit recte vivere, qui recte novit orare.«*

Ingredere ergo, pie lector, in hunc hortulum, in quo invenies flores amoenissimos, quos plantavit sancta mater ecclesia. Ex his tibi carpe, quos volueris, et persuasum habeas, quo magis cognoveris ecclesiam orantem, eo maiorem fore dilectionem tuam illius.

[1]) Moral. in Iob. XVIII. c. 27. n. 10.



Dies sacrata.



Nesciebatis/quia in his/quae Patris mei sunt/oportet me esse? (Luc. 2.49.)



Preces matutinae.

Mane, cum e lecto surgendum est, dices:



IN nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ sancti. Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas. Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi surgo; ille me benedicat ✠ regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

PATER noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum, fiat

voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.

AVE Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

CREDO in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

DEUS ✠ in adiutorium meum intende. Domine ad adiuvandum me festina. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Hymnus S. Ambrosii.

IAM lucis orto sidere * Deum precemur supplices, * Ut in diurnis actibus * Nos servet a nocentibus.

Linguam refrenans temperet, * Ne litis horror insonet; * Visum fovendo contegat, * Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima, * Absistat et vecordia; * Carnis terat superbiam * Potus cibique parcitas.

Ut cum dies abscesserit * Noctemque sors reduxerit, * Mundi per abstinentiam * Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria * Eiusque soli Filio, * Cum Spiritu paraclito * Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Dignare, Domine, die isto.
℟. Sine peccato nos custodire.
℣. Respice in servos tuos, Domine, et in opera tua et dirige filios eorum.
℟. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos et opus manuum nostrarum dirige.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOMINE, Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.

DIRIGERE et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, rex caeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus sermones et actus nostros in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hic et in aeternum te auxiliante salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi.

SANCTA Maria et omnes sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adiuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ad beatam virginem Mariam.

SALVE Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium

ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Benedictus Deus in sanctis suis.

℟. Amen.

O Domina mea, o mater mea! Tibi me totum offero; atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

Ad angelum custodem.

ANGELE Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hac die illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

Benedictio.

DIES et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. Dominus nos benedicat ✠ et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.



Aliae preces matutinae.

IN nomine Dei Patris, ✠ qui me creavit; et Filii, ✠ qui me pretio sanguinis sui redemit; et Spiritus ✠ sancti, qui me sanctificavit, surgo; ipsi honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio.

ADORO te, o sanctissima Trinitas! Te glorifico, laudo, benedico: tibi gratias ago pro universis naturae, gratiae ac gloriae donis, mihi aliisque hominibus et angelis hactenus concessis: ac praesertim, quod me inter tot corporis animique discrimina salvum et incolumem ad hunc usque diem servaveris nocte hac tam feliciter transacta; et quot heu! iam e suo cubili ad tuum tribunal rapti aeternum perierunt? Vivens, vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie.

Oblatio sui ipsius.

O PATER aeterne, ad te primum suspirium et aestus cordis mei mitto, tibi me totum et omnes animae vires et corporis sensus et omnia offero. Suscipe, mi Pater, hos novi diei

primos amores eosque incendio caritatis Filii tui meritisque coniunge. Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei?

Ad subsidium petendum.

ADESTE mihi pariter, o beatarum agmina mentium. Eia prae reliquis piissima virgo Dei et mea optima mater Maria cum castissimo sponso tuo, s. Iosepho, succurre; tuque angele mi custos, vosque o vitae meae patroni N. N. et sancti Dei omnes, praesertim hac die celebres, inopem iuvate, ducite caecum et claudum. Tu vero prae omnibus adspira, Deus meus et omnia. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Commendatio sui in b. Mariae virg. patrocinium.

GLORIOSA Dei mater et regina caeli, sancta Maria, patrona mea singularis, saluto te per dulcissimum cor Iesu Christi, tui dilectissimi Filii, et commendo me hodie maternae tuae pietati, ut ad eiusdem Filii tui gloriam et salutem meam proximique commodum omnia, quae facturus sum, rite instituantur at-

que persolvantur; in omni etiam tribulatione, tentatione, angustia et periculis succurre mihi, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

Intentio.

DOMINE Deus, sine quo nihil possumus, quaecumque hodie cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia refero ad laudem et gloriam tuam et Domini nostri Iesu Christi, ad utilitatem quoque meam totiusque ecclesiae tuae sanctae in unione illius divini amoris et intentionis, qua Filius tuus unigenitus ipse haec omnia perfecit.

Benedictio.

BENEDICAT et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Preces matutinae s. Gertrudis.

Mane cum surgis, aiebat Christus ad beatam Melchtildem, saluta primo cor meum et offer mihi cor tuum.

ADORO, laudo et saluto te, dulcissimum et vernans cor Iesu Christi, ex quo tamquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bo-

num omnisque dulcedo effluxit et effluit. Et ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quod me hac nocte custodieris, Deoque Patri pro me laudes et gratiarum actiones persolveris. Et nunc, o dulcis amor meus, offero tibi miserum et indignum cor meum in sacrificium matutinum, et omni qua possum devotione includo et commendo illud dulcissimo cordi tuo, rogans, ut divinas tuas influxiones illi infundere atque sancto tuo amore accendere digneris. Amen.

Commendatio ad Jesum.

B. Gertrudis intellexit, quod in quocumque se homo commendat Deo, orans ut ipsum a peccato custodiat, etiamsi occulto Dei iudicio homini videatur, quod graviter deliquerit in aliquo, numquam tamen sic delinquit, nisi gratia Dei velut baculus sustentet eum, quod semper facilius ad paenitentiam redire possit.

PIE Iesu, in unione amoris illius, quo in cruce Patri spiritum commendasti, commendo tibi spiritum et animam meam, atque in sacratissimum vulnus dulcissimi cordis tui includo, ut in eodem ab omnibus inimici insidiis protegantur. Tu nosti, bone Iesu, et ego satis experior, quam infirmus et labilis sim, adeo ut nec ulla hora sine tua speciali gratia in bono

persistere aut ulli tentationi ex me resistere possim. Ideo rogo per reverentiam unionis illius, qua humanitas tua, causa glorificationis nostrae, venerandae Trinitati unitur, ut voluntatem meam tibi unire et, ne contra te insurgere queat, confortare digneris. In unione innocentissimorum membrorum tuorum commendo tibi singula membra corporis mei cum omni motu suo, ut hac die numquam nisi ad laudem et gloriam tuam et propter amorem tuum commoveantur. Amen.

Suspirium ad Iesum.

B. Melchtildi aiebat Christus: Quilibet mane dum surgit, ex toto corde suo ad me suspiret, petatque quod ego eadem die omnia sua opera in ipso perficiam, per quod ille me ad se trahit, ita ut quemadmodum habet corpus vitam ab anima, sic illa anima habeat vitam a me omniaque faciat per me. Quodvis enim suspirium tantae est efficaciae, ut homo numquam ad me suspiret, quin mihi proprior sit, quam antea.

AMANTISSIME Iesu, hoc primum huius diei suspirium de fundo cordis mei haustum mitto ad te ex omnibus viribus meis rogans, ut hac die omnes corporis et animae meae

actiones per temetipsum in me operari, easdemque in corde tuo dulcissimo emendatas una cum perfectissimis operibus tuis Deo Patri in laudem aeternam offerre digneris. Amen.

Intentio matutina.

B. Gertrudi dicebat Christus, quod illa opera, quae ita pure ad laudem Dei in unione passionis Christi et ad salutem universitatis fiunt, ut omnino abrenuntiet quis omni merito, quo tantummodo possit Deo laudem offerre, describantur aureo colore. Et licet alia opera copiosam obtineant remunerationem: illa tamen, quae pure fiunt pro amore laudis Dei, multo maioris sint dignitatis et insuper conferant homini in infinitum maius augmentum salutis aeternae.

DOMINE Deus, propter temetipsum mihi propono hodie et cotidie omnes meas internas et externas actiones pure ad laudem tuam et ad salutem universitatis perficere, tali intentione et modo, quem tu Deus meus adinvenire et optare potes, et in unione illius amoris, quo Filius tuus de caelo descendit et omne opus humanae redemptionis, maxime tempore passionis suae perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, praemio et gratiae,

quae per illa opera possem adipisci, ut possim tibi Deo meo laudem et amoris exhibitionem offerre. Amen.

Tres orationes divi Thomae Aquinatis.

Ante studia.

Hanc orationem s. Thomas ante studia dicere solebat. Leo XIII. P. d. d. 21. Febr. 1880 omnibus hanc orationem devote recitantibus concessit indulgentiam 200 dierum semel in die lucrandam.

REATOR ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres angelorum hierarchias designasti, et eas super caelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti; tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris ac supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde. Da mihi intellegendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facultatem, interpretandi subtilitatem, loquendi

gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas; tu, qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad beatam virginem Mariam.

O BEATISSIMA et dulcissima virgo Maria, mater Dei, omni pietate plenissima, summi regis filia, Domina angelorum, mater omnium credentium: in sinum pietatis tuae commendo hodie et omnibus diebus vitae meae corpus meum et animam meam, omnesque actus meos, cogitationes, volitiones, desideria, locutiones, operationes, omnemque vitam finemque meum; ut per tua suffragia disponantur in bonum secundum voluntatem dilecti Filii tui Domini nostri Iesu Christi: ut sis mihi, o Domina mea sanctissima, adiutrix et consolatrix contra insidias et laqueos hostis antiqui et omnium inimicorum meorum. A dilecto Filio tuo Domino nostro Iesu Christo mihi impetrare digneris gratiam, cum qua potenter resistere valeam tentationibus mundi, carnis et daemonis, ac semper habere firmum propositum ulterius non peccandi, sed in tuo et dilecti Filii tui servitio perseverandi. Deprecor te etiam, Domina mea sanctissima, ut impetres mihi veram oboedientiam et veram cordis humilitatem, ut ve-

raciter me agnoscam miserum ac fragilem peccatorem, et impotentem non solum ad faciendum quodcumque opus bonum, sed etiam ad resistendum continuis impugnationibus, sine gratia et adiutorio Creatoris mei et sanctis precibus tuis. Impetra mihi etiam, o Domina mea dulcissima, perpetuam mentis et corporis castitatem, ut puro corde et casto corpore dilecto Filio tuo et tibi valeam deservire. Obtine mihi ab eo patientiam et mentis tranquillitatem, ut labores meos valeam sustinere et pro salute propria et proximorum valeam laborare. Impetra mihi etiam, o dulcissima Domina, caritatem veram, qua sacratissimum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum toto corde diligam, et te post ipsum super omnia, et proximum in Deo et propter Deum; sicque de bono eius gaudeam, de malo doleam, nullumque contemnam, neque temerarie iudicem, neque in corde meo alicui me praeponam. Fac etiam, o Regina caeli, ut dulcissimi Filii tui timorem pariter et amorem semper in corde meo habeam; et de tantis beneficiis mihi, non meis meritis, sed ipsius benignitate collatis, semper gratias agam; ac de peccatis meis puram et sinceram confessionem et veram paenitentiam faciam, ut suam consequi merear misericordiam et gratiam. Oro etiam, ut in fine

vitae meae, tu mater unica, caeli porta et peccatorum advocata, me indignum servum tuum a sancta fide catholica deviare non permittas, sed tua magna pietate et misericordia mihi succurras et a malis spiritibus me defendas; ac in benedicta Filii tui gloriosa passione, et in tua propria intercessione spe accepta, veniam de peccatis meis ab eo mihi impetres, atque me in tua et eius dilectione morientem in viam salvationis et salutis dirigas. Amen.

Ad vitam sapienter instituendam.

CONCEDE mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Adorna statum meum; et quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam; et da exsequi, sicut oportet et expedit animae meae. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar et in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel ducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam nisi tibi. Omnia ex caritate da facere et, quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te et cara mihi sint omnia tua et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te. Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corrigere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, oboedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi, dulcissime Iesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da rectum, quod nulla seorsim obliquet sinistra intentio. Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter exspectantem, fiduciam te feliciter am-

plectentem. Da tuis poenis configi per paenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.



Preces eiaculatoriae.

Preces horariae.

PATER noster, qui es in caelis, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Erravi sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum, Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

2. Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

Notam fac mihi, Domine, viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Deo Patri sit gloria, eiusque soli Filio, cum Spiritu paraclito, et nunc et in perpetuum. Amen.

3. Delicta quis intellegit, ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me.

Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, cum Patre et sancto Spiritu, in sempiterna saecula. Amen.

4. Delicta iuventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine.

Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

5. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes sumus nimis.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia.

6. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Illumina, Domine, oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

7. Adiuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos et propitius esto peccatis nostris.

Ne proicias me, Domine, in die senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Benedictus Deus pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Ex Psalmis.

AD te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum et refugium meum.

Anima mea tibi, Domine, vivet et semen meum serviet tibi.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te.

Dic animae meae, Domine: Salus tua ego sum.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fortem et vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.

Quid mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est; ponere in Domino spem meam.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.

Melior est dies una in atriis tuis super milia.

Benedic anima mea Dominum, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.

O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Fiat, Domine, cor meum immaculatum, ut non confundar.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui Sion.

Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me et cognosce semitas meas. Et vide, si via iniquitatis in me est et deduc me in via aeterna.

Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis.

Magnus Dominus et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.

Ex S. Augustini confessionum libris.

FECISTI nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Quis mihi dabit, Domine, ut venias in cor meum, et inebrias illud, ut obliviscar mala mea et unum bonum meum amplectar te?

Quid tibi sum ego, ut amari te iubeas a me; et nisi faciam, irascaris mihi et mineris ingentes miserias? parvane est ipsa miseria, si non amem te?

Noli a me abscondere faciem tuam; Domine, moriar, ut eam videam.

Angusta est domus animae meae; quo venias ad eam, dilatetur a te; ruinosa est, refice eam.

O bone Deus omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum tamquam solum cures, et sic omnes tamquam singulos.

Quid ego sum mihi, Domine, sine te, nisi dux in praeceps.

Aut quid sum, cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur.

Te nemo, bone Deus, amittit, nisi qui dimittit. Et qui dimittit, quo it aut quo fugit, nisi a te placato ad te iratum?

O Domine Deus noster, in velamento alarum tuarum speramus; protege nos et porta nos, quoniam firmitas nostra, quando tu es, tunc est firmitas; cum autem nostra est, infirmitas est.

Laudet te, Domine, anima mea, ut amet te et confiteatur tibi miserationes tuas et laudet te.

Faciat laudes tuas, Domine, qui miserationes tuas non considerat, quae tibi de medullis meis confitentur.

Vae animae audaci, quae speravit, si a te recessisset, aliquid se melius habituram; versa et reversa in tergum et in latera et in ventrem et dura sunt omnia, et tu solus, Domine, requies.

O aeterna veritas et vera caritas et cara aeternitas; tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte.

Mihi adhaerere tibi, Domine, bonum est, quia si non mansero in te, nec in me potero.

Heu mihi, quam excelsus es, Domine, in excelsis, et quam profundus es in profundis? Et numquam recedis et vix redimus ad te.

Cognoscam te, cognitor meus; cognoscam te, sicut et a te cognitus sum. Virtus animae meae intra in eam et coapta tibi, ut habeas et possideas sine macula et ruga.

Domine, amo te, percussisti cor meum verbo tuo et amavi te. Sed et caelum et terra et omnia, quae in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te, nec cessant dicere omnibus ita, ut sint inexcusabiles.

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi. Ecce, tu intus eras et ego foris. Mecum eras et non tecum eram.

Vocasti me, Domine, et clamasti et rupisti surditatem meam.

Coruscasti, splenduisti et fugasti caecitatem meam, flagrasti, et duxi spiritum et exarsi in pacem tuam.

Tota spes mea nonnisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes et iube quod vis.

Minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

O amator, qui semper ardes et numquam exstingueris, caritas Deus meus, accende me.

Continentiam iubes? Da quod iubes et iube quod vis.

Ecce Domine, caelum et terra clamant, quod facta sint. Tu, Domine, fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Sed nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec ita sunt, sicut tu, Conditor eorum, cui comparata nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt.

O quam excelsus es, Domine, et humiles corde sunt domus tua.

Tu enim erigis elisos, et non cadunt, quorum fortitudo tu es.

Tu, Deus, diligenti te quantum praecipis, ostendis ei te et sufficit ei, et ideo non declinat a te nec a se.

Non eguisti me, Domine, nec ego bonum tale sum, quo tu adiuveris. Non sic te colo, quasi terram, ut sis incultus, si te non colam; sed servio tibi et colo te, ut de te mihi bene sit, a quo mihi est, ut sim, cui bene sit.

Scio Domine, quia male mihi est praeter te, non solum extra me, sed in me ipso, et omnis mihi copia, quae Deus meus non est, egestas est mihi.



Salutatio angelica.

NGELUS Domini nuntiavit Mariae et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria etc.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria etc.

Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Ave Maria etc.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

GRATIAM tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.



Ad scholam.

Mane ante scholam.

DIUTORIUM nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit caelum et terram.

VENI sancte Spiritus! reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

℣. Emittes Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Pater. Ave.

Oratio pro rege.

℣. Salvum fac servum tuum, Domine, regem nostrum N.

℟. Deus meus, sperantem in te.

Oremus.

QUAESUMUS, omnipotens Deus, ut famulus tuus, N. rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum monstra devitare et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus

valeat pervenire. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Post scholam.

REGI saeculorum immortali et invisibili soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Psalmus 116.

LAUDATE Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum. Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

NE sinas me, Domine, inflari scientia, quae destruetur, sed da caritatem aedificantem, quae numquam excidit, ut non evanescam in

cogitationibus meis nec iudicem me scire aliquid inter homines nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. ℟. Amen.

Post meridiem ante scholam.

DEUS in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

ACTIONES nostras quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Post scholam.

OMNIA, quaecumque facimus sive verbo sive opere, in nomine Domini nostri Iesu Christi faciamus, gratias semper agentes Deo Patri per Iesum. ℟. Amen.

Et post Deum trinum sit omnis honor et gloria beatissimae et deiparae virgini Mariae.
℟. Amen.

Antiphonae Marianae.

Salve Regina.

A I. vesp. festi s.s. Trinit. usque ad nonam sabb. ante adventum.

SALVE Regina, mater misericordiae, vita dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti, da, ut cuius commemoratione laeta-

mur, eius pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alma Redemptoris Mater.

A vesp. sabb. ante Dom. I. adventus usque ad purificationem inclusive.

ALMA Redemptoris Mater, quae pervia caeli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat populo: tu quae genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem.
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In adventu.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariae.
℟. Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus.

GRATIAM tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

A primis vesp. nativ.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genetrix intercede pro nobis.

Oremus.

DEUS, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate fecunda humano generi praemia praestitisti, tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

Ave Regina caelorum.

Post purific. usque ad fer. V. in cena Domini.

AVE Regina caelorum,
Ave Domina angelorum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa.
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium, ut, qui sanctae Dei Genetricis memoriam agimus, intercessionis eius auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.


Regina caeli.

A complet. sabb. sancti usque ad nonam sabb. post pent. incl.

REGINA caeli laetare, alleluia,
Quia, quem meruisti portare, alleluia,
Resurrexit, sicut dixit, alleluia.
Ora pro nobis Deum, alleluia.
℣. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus.

DEUS, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, mundum laetificare dignatus es, praesta, quaesumus, ut per eius Genetricem virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.



Benedictio mensae.

Ante prandium.

Sacerdos benedicturus mensam incipit: Benedicite. Et ceteri repetunt: Benedicite. Deinde dicitur:

OCULI omnium et reliqui prosequuntur in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Postea sacerdos dicit:

Oremus.

BENEDIC, Domine, nos ✠ et haec tua ✠ dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde lector: Iube domne benedicere.

Benedictio. Mensae caelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

Post prandium.

Dicto a lectore: Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias, omnes surgunt et sacerdos incipit:

CONFITEANTUR tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri etc.

Postea sacerdos absolute dicat:

AGIMUS tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus: Miserere etc. vel Psalmus:

LAUDATE Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dispersit, dedit pauperibus. ℟. Iustitia eius manet in saeculum saeculi.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore. ℟. Semper laus eius in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea. ℟. Audiant mansueti et laetentur.

℣. Magnificate Dominum mecum. ℟. Et exaltemus nomen eius in id ipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

RETRIBUERE dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Pater noster. Totum secreto, quo finito sacerdos dicit:

Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante cenam.

Sacerdos benedicturus mensam incipit:

Benedicite. Et ceteri repet.: Benedicite.

Deinde sacerdos incipit et reliqui prosequuntur versiculum:

EDENT pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum, qui requirunt eum; vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

BENEDIC, Domine, nos ✠ et haec tua ✠ dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde lector: Iube domne benedicere.

Benedictio. Ad cenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

Post cenam.

Dicto a lectore: Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias, omnes surgunt et deinde dicitur:

MEMORIAM fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se. Gloria Patri etc.

Sacerdos dicat: Benedictus Deus in donis suis et sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus:

Laudate Dominum omnes gentes etc. et reliqua, ut supra post prandium.

In diebus ieiunii, quando semel comeditur, omnia dicuntur, ut in cena. Ad sic dictam collationem vespertinam potest in silentio recitari **Pater noster** et **Ave Maria.**

In nativitate Domini usque ad cenam vigiliae epiphaniae exclusive ante prandium et cenam loco versiculi: **Oculi omnium** etc. et: **Edent pauperes** etc. dicitur:

VERBUM caro factum est, alleluia, et habitavit in nobis, alleluia. Gloria Patri etc.

Post prandium et cenam loco: **Confiteantur** etc. et: **Memoriam fecit** etc. dicitur:

Notum fecit Dominus, alleluia, salutare suum, alleluia. Gloria Patri etc.

In epiphania incipiendo a cena vigiliae per totam octavam ante prandium et cenam:

REGES Tharsis et insulae munera offerent, alleluia; reges Arabum et Sabae dona adducent, alleluia. Gloria Patri etc.

Post prandium et cenam:

Omnes de Saba venient, alleluia, aurum et thus deferentes, alleluia. Gloria Patri etc.

Feria V. in cena Domini ante mensam:

CHRISTUS factus est pro nobis oboediens usque ad mortem.

Deinde dicitur **Pater noster** totum secreto,

quo finito sacerdos signo crucis benedicit mensam nihil dicens.

Post mensam.

Christus factus est pro nobis oboediens usque ad mortem.

Deinde Psalmus Miserere etc., quo finito sine Gloria Patri dicitur Pater noster, totum secreto, deinde oratio:

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Non pronuntiatur: Qui tecum etc. sed secreto dicitur: Pater noster.

In parasceve eodem modo fit, sicut in cena Domini, praeterquam quod versiculus sonet:

CHRISTUS factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Sabbato sancto ante mensam dicitur ordinaria benedictio mensae, quae fit ante cenam, incipiendo: Benedicite. Sed loco: Edent pauperes etc. dicitur:

VESPERE autem sabbati, quae lucescit prima sabbati, alleluia, venit Maria Magdalena et altera Maria, videre sepulcrum, alleluia. Gloria Patri etc.

Post mensam dicuntur preces eaedem, quae alias fiunt post cenam, sed loco: **Memoriam fecit** etc. dicitur:

Vespere autem sabbati etc. ut supra.

In die **paschae** et deinceps usque ad cenam sequentis sabbati incl. dicitur ordinaria benedictio et gratiarum actio, excepto primo versiculo, qui tum ante tum post prandium et cenam sonat:

HAEC dies, quam fecit Dominus, alleluia, exsultemus et laetemur in ea, alleluia. Gloria Patri etc.

In **ascensione Domini** usque ad vigiliam pentecostes exclusive ante prandium et cenam:

ASCENDIT Deus in iubilatione, alleluia, et Dominus in voce tubae, alleluia. Gloria Patri etc.

In **pentecoste** a vigilia eiusdem inclus. usque ad cenam sequentis sabbati exclus. ante prandium et cenam:

SPIRITUS Domini replevit orbem terrarum, alleluia, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia. Gloria Patri etc.

Post prandium et cenam:

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia, et coeperunt loqui, alleluia. Gloria Patri etc.





Preces vespertinae.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Hymnus s. Ambrosii.

TE lucis ante terminum * Rerum Creator poscimus, * Ut solita clementia * Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia * Et noctium phantasmata, * Hostemque nostrum comprime * Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime, * Patrique compar Unice * Cum Spiritu paraclito * Regnans per omne saeculum. Amen.

Psalmus CX.

QUI habitat in adiutorio Altissimi * in protectione Dei caeli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu et refugium meum; * Deus meus, sperabo in eum!

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi * et sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius; * non timebis a timore nocturno,

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, * ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis. * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea! * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te, * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis * conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum * protegam eum,quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione * eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum * et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, * sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Instituatur examen conscientiae. Omnes diei horas percurre et vide, quid boni neglexeris, quid male commiseris cogitatione, verbo et opere.

CONFITEOR Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus et dimissis peccatis nostris perducat nos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

PER immaculatam vitam, amaram passionem et mortem Filii tui Domini nostri Iesu Christi rogo supplex, ut quidquid ex fragilitate, ignorantia vel malitia in te, pro-

ximum et me ipsum hodie deliqui, id misero mihi clementer condones. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

GRATIAS tibi ago, omnipotens Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es; deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem sine ullo peccato aut impedimento satanae cum dulci et pudica requie pertransire, ut matutino veniente tempore pure et strenue surgens tibi Deo meo laudes referre valeam.

℣. Dignare, Domine, nocte ista. ℟. Sine peccato nos custodire.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

VISITA, quaesumus Domine, habitationem istam et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum etc. Amen.

Oratio S. Bernardi ad B. M. V.

MEMORARE, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, a te esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo virginum, mater, curro; ad te venio, coram te gemens peccator adsisto; noli mater Verbi verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genetrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
℣. Benedictus Deus in sanctis suis.
℟. Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Psalmus CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem aeternam dona eis, Domine, * et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

FIDELIUM Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

PAX Domini nostri Iesu Christi, et virtus sacratissimae passionis eius, signum sanctae ✠ crucis et titulus triumphalis: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum, integritas quoque beatissimae virginis Mariae, custodia sanctorum angelorum, praesertim tutelaris mei et suffragia omnium electorum Dei sint inter me et omnes inimicos meos visibiles et invisibiles nunc et in hora mortis meae. Amen.

BENEDICAT et custodiat nos omnipotens et misericors Deus Pater ✠ et Filius ✠ et Spiritus ✠ sanctus, nobisque noctem quietam et finem perfectum concedat. In nomine Domini nostri Iesu Christi cubitum eo. Ille me ✠ benedicat, regat, custodiat et ad vitam perducat aeternam. Amen. In manus tuas commendo spiritum meum. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.



Aliae orationes vespertinae.

IN nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus sancti ✠ Amen.

Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

DOMINE, Deus meus! immensas tibi gratias ago, quia me ad imaginem et similitudinem tuam ex nihilo creasti et innumeris donis inanima et corpore donasti; ago gratias, quia me ad statum religiosum, quem profiteor, misericorditer adduxisti; ago gratias, quia me hodie ad orationem et tui colloquium admisisti, in tuo obsequio continuisti aliisque infinitis beneficiis es prosecutus et afficere non cessas et per totam aeternitatem afficies. Et tu, o Domine liberalissime, his omnibus beneficiis nunc, quaeso, aliud adiunge, ut lucem a tua sede ad me mittas et abundantem gratiam tribuas, qua possim peccata mea agnoscere et eorum, quae adversus tuam maiestatem commisi, ad fletum et debitam paenitudinem recordari. Amen.

Hic fiat examen conscientiae, quo finito subiungatur sequens oratio :

DOMINE mi, Iesu Christe, verus Deus et homo, Creator et Redemptor meus, quoniam tu es, qui es, et quia amo te super omnia: paenitet me ex toto corde, quod et offenderim, et propono firmiter, nunquam amplius peccare et omnes peccandi occasiones devitare, confiteri et implere paenitentiam, quae mihi fuerit iniuncta, condono simul amore tui ex corde omnes offensas, quibus laesus forte sim a quovis proximorum meorum, et si quid quispiam habeat contra me, unde iure coram te queratur, propono ex animo, me proxima occasione satisfacturum ipsi, omnia denique opera mea et afflictiones ac totam vitam tibi offero in satisfactionem meorum peccatorum; et quemadmodum suppliciter a te peto, sic confido in bonitate tua et misericordia infinita, quod ea merito tuae passionis et mortis mihi remissurus et gratiam largiturus sis ad me emendandum ac perseverandum usque ad mortem. Amen.

DOMINE mi, Iesu Christe, te rogo per virtutem sanctae passionis tuae, miserere mei et custodi me hac nocte a subitanea morte, ab omnibus insidiis et illusionibus satanae, ut pura mente et mundo corpore dispositis

mihi horis valeam consurgere, cum fervore spiritus te collaudare. Amen.

Ad b. virginem Mariam.

LICEAT mihi, o unica spes salutis animae meae post Deum, virgo Maria, sub umbra protectionis tuae hac nocte requiescere: quatenus incolumis et gaudens cum gratiarum actione suo tempore consurgam ac tibi Filioque tuo ferventissime serviam. Amen.

Ad s. angelum custodem.

TIBI gratias ago, angele sancte Dei, pro fideli, qua me hodie protexisti, custodia; me tibi commissum pietate superna hac nocte protege, custodi, tuere, guberna. Amen.

PAX Domini nostri Iesu Christi, meritum et integritas beatissimae virginis Mariae, signum sanctae ✠ crucis, virtus dominicae passionis, benedictio, merita et intercessio s. Benedicti et aliorum patronorum ac omnium angelorum et electorum Dei sint inter nos et omnes inimicos nostros visibiles et invisibiles nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Orationes a dormituro dicendae.

O IESU dulcissime, Iesu pater dilectissime, tu mecum, quaeso, maneas, hac nocte

mecum dormias, ut corpus somnum capiat et numquam cor obdormiat; sed semper tecum vigilet, te corde et mente cupiat, praesentem absens videat, quo malum omne caveat. Me angelus custodiat et signo ✠ crucis muniat; hinc satan procul fugiat et Iesus solus maneat; quos amo tecum colligas, in lecto cordis foveas, nec me nec ipsos deseras, sed benedicens protegas et in aevum custodias. Amen.

Alia oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus! tibi gratias ago, quod me ex tua gratia custodire dignatus es. Deprecor te, ut quidquid hac die cogitando, loquendo, operando, videndo, fallente carne, mundo et diabolo peccavi, per passionem et crucem tuam mihi clementer indulgere et ab omni animae et corporis periculo me custodire digneris, ut incolumis ad laudandum nomen tuae maiestatis exsurgam et tibi cum bona voluntate et puro corde et casto corpore cumque vera laetitia et gratiarum actione servire valeam. Amen.

Alia oratio.

GRATIAS tibi ago, Domine sancte Pater omnipotens et aeterne Deus, qui me indignum famulum tuum N. non meis meritis,

sed tua sanctissima gratia custodire dignatus es in hac die: deprecor clementiam tuam, misericordissime Deus, ut concedas mihi venturam noctem mundo corde et corpore sic pertransire, quatenus mane surgens gratum tibi valeam obsequium servitutis exhibere. Per Dominum etc.

Hymnus.

CHRISTE, qui lux es et dies, * Noctis tenebras detegis, * Lucisque lumen crederis * Lumen beatum praedicans!

Precamur, sancte Domine, * Defende nos in hac nocte, * Sit nobis in te requies, * Quietam noctem tribue.

Ne gravis somnus irruat * Nec hostis nos surripiat * Nec caro illi consentiens * Nos tibi reos statuat.

Oculi somnum capiant, * Cor ad te semper vigilet, * Dextera tua protegat * Famulos, qui te diligunt.

Defensor noster, aspice, * Insidiantes reprime, * Guberna tuos famulos, * Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri, Domine, * In gravi isto corpore; * Qui es defensor animae, * Adesto nobis, Domine.

Deo Patri sit gloria * Eiusque soli Filio * Cum Spiritu paraclito * Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Oremus.

ILLUMINA, quaesumus Domine, tenebras nostras et totius huius noctis insidias tu a nobis repelle propitius. Per Dominum nostrum etc.



Preces vespertinae s. Gertrudis.



AVE salus et illuminatio animae meae, Deus meus. Gratias tibi referat, quidquid caeli ambitus terrarumque circuitus et abyssi complectitur profundum, pro universis beneficiis et miserationibus tuis, quae mihi in corpore et anima contulisti. Quorum cum tantus sit numerus, quod nequaquam valeam respondere unum pro mille: hinc id ipsum illi aeternae, immensae et incommutabili gratitudini committo, qua tibi, o fulgida semperque tranquilla Trinitas, ex te ipsa, per te ipsam et in te ipsa omne debitum plene suppletur.

Et huic me quasi pulvis exiguus ingerens, per eum, qui in substantia mea tibi adsistit, offero tibi laudes et gratiarum actiones, quales dedisti nobis posse per eundem in Spiritu sancto. Amen.

Hic examina conscientiam et elicita contritione cum intimo suspirio dic cum s. Gertrude:

IN amaritudine passionis Iesu Christi Filii tui, amantissime Pater, moveo querimoniam, vehementer me accusans, quod hodie tam infideliter tibi servierim, teque benignissimum Patrem tot et tantis neglegentiis et peccatis offenderim: de quibus ex intimo corde dolens in spiritu humilitatis et in animo contrito percutio pectus meum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Et pro universis neglegentiis meis, quibus suavifluum spiritum tuum in me exstinxi, offero tibi paenas et lacrimas dilecti Filii tui. Et peto in unione efficacissimae orationis eiusdem in virtute Spiritus sancti omnium peccatorum meorum emendationem defectuumque meorum suppletionem. Quod mihi praestare digneris per amorem illum, qui te continuit, cum tuae paternae deliciositatis amantissimus Unicus cum sceleratis reputaretur. Amen.

B. Melchtildi dixit Christus, quod in dies pro suis peccatis tertio oraret ps.: Laudate Dominum omnes gentes.

Commendatio ad cor Jesu.

O COR dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in te dulciter requiescam. Et quoniam ego iam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris, ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes ss. Trinitati pro me persolvas: omnemque halitum, quem spiravero, in te susceptum, eidem tamquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

Ad b. virginem Mariam.

IN tuam maternam fidelitatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima virgo Maria, rogans, ut me ab insidiis inimici tuearis. O dilectissime angele custos, o vos ss. patroni mei, hac nocte defendite et incolumem servate me. Et pro me dormiente incessanter Deum meum laudate mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini. Amen.


Intentio ante somnum.

DOMINE Iesu, hunc somnum suscipiam in illo amore, quo tu eundem sanctificasti, cum in tua ss. humanitate sonsimili utereris ad laudem Dei Patris et salutem totius generis humani, orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus caelestibus, terrestribus et purgandis. Amen.

Decubiturus pollice scribe in fronte tua has 4. literas I. N. R. I. interim dicens:

IESUS Nazarenus, Rex Iudaeorum, praeservet me a subitanea mala morte.

Amen.





Caro enim mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. (Io. VI.)



Sacrosanctae missae sacrificium.

Intentio.

INTENDO, ut ex frequentatione divini cultus nomen Dei in me sanctificetur, ut a me per sanctitatem vitae glorificetur in mundo, ut crescat in toto mundo cultus et honor Dei, ut cognoscat totus mundus, me esse servum unius veri Dei et Salvatoris Iesu Christi. Intendo, totam ecclesiam iuvare, et propono Deum orare pro papa cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, doctoribus, rectoribus, sacerdotibus, clericis, monachis, religiosis, monasteriis, et omnibus Christo famulantibus, pro regibus, ducibus, principibus et ceteris nobilibus, pro virginibus, viduis, orphanis, peregrinis, afflictis, captivis, debilibus, infirmis et pro omni populo

Dei. Etiam pro paganis, schismaticis et haereticis, ut convertantur ad Deum verum et sanctae ecclesiae unitatem. Item in speciali orare volo pro aliquibus causis: caris scilicet parentibus, consanguineis et amicis devotis et mihi recommendatis ac in mea oratione sperantibus. Item singularissime pro me ipso.

Memento.

Memento, Domine, si tibi placet vivorum.

MEI, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et amicorum meorum.

Omnium, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi.

Omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus.

Omnium mihi commissorum in genere et in specie.

Omnium sacerdotum et ministrorum ecclesiae Dei catholicae.

Omnium inimicorum meorum ad dimissionem.

Omnium haereticorum et infidelium ad conversionem.

Omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

Memento, Domine, si tibi placet mortuorum.

ANIMARUM parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et amicorum meorum.

Animarum, quae occasione mei purgantur in purgatorio.

Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus.

Animarum omnium mihi commissarum in genere et in specie.

Animarum omnium sacerdotum et ministrorum ecclesiae Dei catholicae.

Animarum morte improvisa corporibus executarum.

Animarum, quarum non est specialis memoria.

Animarum miserrime exsistentium in purgatorio, et omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

Benedictio populi cum aqua benedicta.

ASPERGES me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor. Ps. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria

Patri etc. Repetitur antiphona: Asperges me, etc.

Tempore paschali dicitur antiphona:

VIDI aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent: Alleluia, alleluia. Ps. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius. ℣. Gloria Patri etc. et repet. antiphona: Vidi aquam.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et additur temp. paschali: Alleluia.

℟. Et salutare tuum da nobis temp. paschali: Alleluia.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXAUDI nos, Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus: et mittere digneris sanctum angelum tuum de caelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.



Benedictio populi cum sanctissimo Sacramento.

Benedictio prior.

TANTUM ergo Sacramentum * Veneremur cernui, * Et antiquum documentum * Novo cedat ritui * Praestet fides supplementum * Sensuum defectui.

Benedictio posterior.

GENITORI, Genitoque * Laus et iubilatio * Salus, honor, virtus quoque * Sit et benedictio. * Procedenti ab utroque * Compar sit laudatio.

Amen.





Missa de ss. Trinitate.

Sacerdos stans ad infimum gradum altaris dicit:

IN nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Introibo ad altare Dei.

Minister. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus, fortitudo mea; quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei; ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Parti et Filio et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam.

S. Adiutorium ✠ nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit caelum et terram.

In missis defunctorum et in missis de tempore, a Dominica Passionis usque ad sabbatum sanctum exclusive, omittitur Psalmus: **Iudica me Deus** cum **Gloria Patri,** et repetitione antiphonae, sed dicto: **In nomine Patris, Introibo** et **Adiutorium** fit confessio, ut sequitur:

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam

Mariam semper virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. repetit confessionem et ubi a sacerdote dicebatur: vobis, fratres et vos fratres a ministro dicitur: tibi, pater et te, pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, ✠ absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. M. Amen.

S. Deus, tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Dum sacerdos ascendit ad altare, dicit:

Oremus.

AUFER a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum sacerdos osculatur altare:

ORAMUS te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

In missa solemni sacerdos benedicit incensum, dicens: Ab illo bene ✠ dicaris, in cuius honore cremaberis. Amen. Et fit incensatio altaris.

Introitus.

BENEDICTA ✠ sit sancta Trinitas atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Ps. 8. Domine, Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Gloria Patri etc. et repetitur: Benedicta sit etc.

KYRIE, eleison. M. Kyrie, eleison. S. Kyrie, eleison. M. Christe, eleison. S. Christe, eleison. M. Christe, eleison. S. Kyrie, eleison. M. Kyrie, eleison. S. Kyrie, eleison.

Gloria.

GLORIA in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam; Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens; Domine Fili unigenite, Iesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Iesu Christe, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Osculatur altare et sacerdos versus ad populum dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Romanos.


ALTITUDO divitiarum, sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen.

Graduale.

BENEDICTUS es, Domine, qui intueris abyssos et sedes super cherubim. Benedictus es, Domine, in firmamento caeli et laudabilis in saecula. Alleluia! Alleluia! Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum et laudabilis in saecula. Alleluia.

Sacerdos ante evangelium in medio altaris dicit:

MUNDA cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Iube

Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

In missa solemni celebrans benedicit incensum, ut supra. Deinde diaconus genuflexus ante altare dicit: Munda cor meum ut supra, petitque benedictionem a sacerdote, dicens: Iube domne benedicere; ad quod sacerdos respondet: Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties evangelium suum: In nomine Patris ✠ etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia sancti evangelii secundum Matthaeum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce vobiscum sum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

M. Laus tibi, Christe.

Sacerdos osculatur evangelium dicens: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

In missa solemni haec verba dicit sacerdos, dum subdiaconus ei evangelium osculandum defert.

Credo.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Hic genuflectitur Et in carnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum bap-

tisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo. S. Oremus.

Offertorium.

BENEDICTUS sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Ad oblationem hostiae:

SUSCIPE, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et neglegentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Sacerdos infundit vinum et aquam in calicem dicens:

DEUS, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti ✠ et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui

humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad oblationem calicis:

OFFERIMUS tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae maiestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Sacerdos aliquantulum inclinatus super altare, dicit:

IN spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Benedicens oblata:

VENI, Sanctificator, omnipotens, aeterne Deus, et bene ✠ dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

In missa solemni celebrans benedicit incensum dicens:

PER intercessionem beati Michaelis archangeli, stantis a dexteris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud

dignetur Dominus bene ✠dicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Incensans oblata dicit:

INCENSUM istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Incensans altare dicit: Ps. 140.

DIRIGATUR, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.

Reddens thuribulum dicit:

ACCENDAT in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis. Amen.

Sacerdos lavans manus dicit. Ps. 25:

LAVABO inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Ne perdas cum impiis, Deus animam meam, et cum

viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me et miserere mei. Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te, Domine. Gloria Patri etc.

In missis pro defunctis, tempore passionis et in missis de tempore omittitur: **Gloria Patri** etc.

Sacerdos in medio altaris sese inclinat et dicit:

SUSCIPE, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Iesu Christi, Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper virginis, et beati Ioannis Baptistae, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos versus ad populum dicit:

ORATE, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum, Patrem omnipotentem.

Responde cum ministro:

SUSCIPIAT Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque ecclesiae suae sanctae.

Sacerdos submissa voce dicit Amen; deinde subiungit orationem secretam.

Secreta.

SANCTIFICA, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem, huius oblationis hostiam, et per eam nosmet ipsos tibi perfice munus aeternum. Per Dominum.

Praefatio.

PER omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. S. Dominus vobiscum. M. Et cum spiritu tuo. S. Sursum corda. M. Habemus ad Dominum. S. Gratias agamus Domino Deo nostro. M. Dignum et iustum est.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus: Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus non in unius singularitate personae,

sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae, sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas; quam laudant angeli atque archangeli, cherubim quoque ac seraphim, qui non cessant clamare cotidie una voce dicentes:

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Canon missae.



TE igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, ut accepta habeas et benedicas haec ✠ dona, haec ✠ munera, haec ✠ sancta sacrificia illibata, inprimis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto

orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro N., et antistite nostro N. (in imperio Austriaco additur imperatore nostro N.) et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

MEMENTO, Domine, famulorum famularumque tuarum (Sacerdos orat, pro quibus orare intendit, deinde prosequitur) et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra actionem.

COMMUNICANTES et memoriam venerantes inprimis gloriosae semper virginis Mariae, genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi: sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis et

Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tenens manus super oblata dicit:

HANC igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

QUAM oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, bene ✠ dictam, ad ✠ scriptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis corpus ✠ et sanguis ✠ fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi.

QUI pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas: et elevatis oculis in caelum ad te, Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes:

Hoc est enim corpus meum.

Sacerdos statim hostiam consecratam genuflexus adorat et ostendit populo. Tunc detecto calice dicit:

SIMILI modo postquam cenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene ✠ dixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes:

Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Haec quotienscumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Genuflexus adorat et iterum ostendit populo. Deinde dicit:

UNDE et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in caelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis, hostiam ✠ puram, hostiam ✠ sanctam, hostiam ✠ immmaculatam, panem ✠

sanctum vitae aeternae, et calicem ✠ salutis perpetuae.

SUPRA quae propitio ac sereno vultu respicere digneris: et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus: iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus ✠ et sanguinem ✠ sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

MEMENTO etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

Sacerdos orat pro iis defunctis, pro quibus orare intendit et deinde prosequitur:

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis

ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

NOBIS quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Ioanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

PER quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas ✠, vivificas ✠, benedicis ✠ et praestas nobis; *discooperto calice genuflectit et accipit sacramentum et signat cum hostia ter a labio ad labium calicis dicens:* Per ipsum ✠, et cum ipso ✠, et in ipso ✠ est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti in unitate Spiritus ✠ sancti, omnis honor et gloria.

PER omnia saecula saeculorum.
M. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere:

PATER noster, qui es in caelis, sanctificetur

nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. M. Sed libera nos a malo. S. Amen.

LIBERA nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genetrice Maria cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus sanctis, da propitius pacem ✠ in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adiuti, et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus; per omnia saecula saeculorum. M. Amen.

Pax ✠ Domini sit ✠ semper vobis ✠ cum. M. Et cum spiritu tuo.

Dum sacerdos particulam immittit in calicem:

HAEC commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

AGNUS Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

In missis pro defunctis non dicitur: **miserere nobis,** sed eius loco: **dona eis requiem,** et in tertio additur: **sempiternam.**

Deinde iunctis manibus super altare inclinatus dicit sequentes orationes.

DOMINE Iesu Christe, qui dixisti apostolis tuis: qacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Si danda est pax, dicitur: **Pax tecum.** ℟. **Et cum Spiritu tuo.**

In missis pro defunctis non dicitur praecedens oratio neque datur pax.

DOMINE Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper in-

haerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

PERCEPTIO corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem caelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Sacerdos hostiam manu tenens, dicit ter:

DOMINE, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Communicans dicit:

CORPUS Domini nostri Iesu Christi custodiat ✠ animam meam in vitam aeternam. Am.

Sacerdos quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi sacramenti; tunc dicit:

QUID retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam

et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipiendo calicem, dicit:

SANGUIS Domini nostri Iesu Christi custodiat ✠ animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post sumptionem calicis:

QUOD ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Ad ablutionem dicit: Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Communio.

BENEDICIMUS Deum caeli et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.

Postcommunio.

PROFICIAT nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, huius

sacramenti susceptio et sempiternae sanctae Trinitatis eiusdemque individuae Unitatis confessio. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Ite, missa est.
M. Deo gratias.

In quibusdam missis loco: Ite, missa est, dicitur: Benedicamus Domino. In missis defunctorum dicit sacerdos: Requiescant in pace.

M. Amen.

PLACEAT tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos versus ad populum benedicit:

BENEDICAT vos omnipotens Deus, Pater ✠ et Filius et Spiritus sanctus. M. Amen.
S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.

INITIUM ✠ sancti evangelii secundum Ioannem. M. Gloria tibi, Domine.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hic geneflectitur· Et verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

M. Deo gratias.

In missis defunctorum non datur benedictio, sed dicto: **Requiescant in pace.** M. **Amen,** dicit sacerdos: **Placeat tibi, sancta Trinitas** etc.; deinde legit evangelium s. Ioannis.



Missa votiva de ss. Eucharistiae Sacramento.

Introitus.

CIBAVIT eos ex adipe frumenti, alleluia: et de petra melle saturavit eos, alleluia, alleluia. Ps. Exsultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Corinthios.

FRATRES, ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus

Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotienscumque bibetis, in meam commemorationem. Quotienscumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.

Graduale.

OCULI omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione. Alleluia, alleluia. ℣. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus : qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Alleluia.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

℟. Gloria tibi, Domine.

IN illo tempore dixit Iesus turbis Iudaeorum : Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna: et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

℟. Laus tibi, Christe.

Offertorium.

SACERDOTES Domini incensum et panes offerunt Deo : et ideo sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius.

Secreta.

ECCLESIAE tuae, quaesumus, Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quae sub oblatis muneribus mystice designantur. Per Dominum etc.

Praefatio de nativitate.

PER omnia saecula saeculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere; Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus etc.

Communio.

QUOTIENSCUMQUE manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Postcommunio.

HAC nos, quaesumus Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri : quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat. Qui vivis et regnas.



Missa in honorem ss. Cordis Iesu.

Introitus.

MISEREBITUR secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit filios hominum : bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Alleluia. Alleluia. Ps. Misericordias Domini in aeternum cantabo : in generationem et generationem. Gloria Patri. Miserebitur.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus omnipotens Deus : ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes, praecipua in nos caritatis eius beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Dominum etc.

Lectio Isaiae prophetae.

CONFITEBOR tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus, Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen eius : mementote, quoniam excelsum est nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra. Exsulta et lauda, habitatio Sion : quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Graduale.

O VOS omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. ℣. Ioan. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluia. Alleluia. ℣. Matth. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabis vestris. Alleluia.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

IN illo tempore : Iudaei (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce

corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites : et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium eius.

Offertorium.

BENEDIC, anima mea, Domino et noli oblivisci omnes retributiones eius, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluia.

Secreta.

GUERE nos, Domine, tua tibi holocausta offerentes : ad quae, ut ferventius corda nostra praeparentur, flammis adure tuae divinae caritatis. Qui vivis.

Praefatio de cruce.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui salutem generis humani in ligno

crucis constituisti: ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Caeli caelorumque virtutes, ac beata seraphim, socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus etc.

Communio.

IMPROPERIUM exspectavit cor meum, et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur et non inveni, alleluia.

Postcommunio.

PACIFICIS pasti deliciis et salutaribus sacramentis, te supplices exoramus, Domine Deus noster: ut qui mitis es et humilis corde, nos a vitiorum labe purgatos, propensius facias a superbis saeculi vanitatibus abhorrere. Qui vivis et regnas.



Alia missa ad sacratissimum Cor Iesu.

Introitus.

VENITE ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Ps. Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum et refugium meum; Deus, susceptor meus. Gloria Patri. Venite.

Oratio.

DOMINE Iesu Christe, qui ineffabiles tui cordis divitias ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es; concede propitius, ut gratiis caelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus corda nostra ditari et recreari mereantur. Qui vivis et regnas etc.

Commemoratio ss. cordis b. Mariae virginis.

CLEMENTISSIME Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium cor immaculatum beatae Mariae virginis divino cordi Filii tui Iesu Christi caritate et

misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut, qui huius dulcissimi et amantissimi cordis memoriam agimus, eiusdem beatae Virginis meritis et intercessione secundum cor Iesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum etc.

Lectio Isaiae prophetae.

VERE languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. De angustia et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit?

Graduale.

PATER Domini nostri Iesu Christi det vobis secundum divitias gloriae suae Christum habitare per fidem in cordibus

vestris, ut possitis comprehendere, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum. ℣. Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Alleluia. Alleluia. ℣. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu. Alleluia.

Post septuagesimam omissis **Alleluia** cum ℣. et prosa dicitur:

Tractus: **Improperium exspectavit cor meum et miseriam et sustinui, qui consolaretur, et non inveni. ℣. Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto. ℣. Unus militum lancea latus eius aperuit. ℣. Surge, amica mea, et veni in foraminibus petrae, in caverna maceriae.**

Sequentia.

SUMMI Regis cor, aveto, * Te saluto corde laeto, * Te complecti me delectat, * Et hoc meum cor affectat, * Ut ad te loquar, animes.

Quo amore vincebaris, * Quo dolore torquebaris, * Cum te totum exhaurires, * Ut te nobis impartires * Et nos a morte tolleres.

O mors illa quam amara, * Quam immitis, quam avara; * Quae per cellam introivit, *

In qua mundi vita vivit, * Te mordens, cor dulcissimum!

Propter mortem, quam tulisti, * Quando pro me defecisti, * Cordis mei cor dilectum, * In te meum fer affectum, * Hoc est, quod opto plurimum.

O cor dulce praedilectum, * Munda cor meum illectum * Et in vanis induratum; * Pium fac et timoratum, * Repulso tetro frigore.

Per medullam cordis mei * Peccatoris atque rei * Tuus amor transferatur, * Quo cor tuum rapiatur * Languens amoris vulnere.

Dilatare, aperire, * Tamquam rosa fragrans mire, * Cordi meo te coniunge, * Unge illud et compunge; * Qui amat te, quid patitur?

Quidnam agat, nescit vere, * Nec se valet cohibere, * Nullum modum dat amori, * Multa morte vellet mori, * Amore quisquis vincitur.

Viva cordis voce clamo, * Dulce cor, te namque amo: * Ad cor meum inclinare, * Ut se possit applicare * Devoto tibi pectore.

Tuo vivat in amore, * Ne dormitet in torpore, * Ad te oret, ad te ploret, * Te adoret, te honoret, * Te fruens omni tempore.

Rosa cordis aperire, * Cuius odor fragrat mire, * Te dignare dilatare, * Fac cor meum anhelare * Flamma desiderii.

Da cor cordi sociari, * Tecum, Iesu,

vulnerari; * Non cor cordi similatur, * Si cor meum perforatur * Sagittis improperii.

Infer tuum intra sinum * Cor, ut tibi sit vicinum, * In dolore gaudioso, * Cum deformi specioso, * Quod vix se ipsum capiat.

Hic repauset, hic moretur, * Ecce iam post te movetur; * Te ardente vult sitire, * Iesu, noli contraire, * Ut bene de te sentiat.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

IN illo tempore iudaei, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium eius.

Offertorium.

IGNEM veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? Baptismo habeo

baptizari; et quomodo coartor, usque dum perficiatur.

Secreta.

CORDIBUS nostris, omnipotens Deus, spiritum et unctionem dilectissimi Filii tui Iesu benignus infunde, ut nos uno spiritu et uno corde cum ipso unam eandemque hostiam immolantes, tibi etiam nosmet ipsos munus aeternum offerre mereamur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Commemoratio sacratissimi cordis B. M. V.

MAIESTATI tuae, Domine, agnum immaculatum offerentes quaesumus, ut corda nostra ille ignis divinus inflammet, quo accensum cor sanctissimae virginis Mariae agnum Filium suum tuumque Unigenitum in ara crucis tibi obtulit, Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat etc.

Praefatio.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui sacrum cor suum, divini amoris

fornacem, per latus transfixum lancea, mundo patere voluit, ut eandem flammam in hominum corda transfunderet; cor mundum animas mundans; cor summe sanctum sanctitatem conferens; cor benignum volens omnes salvos fieri et in caelesti regno feliciter coronari. Et ideo divinum illud cor, omnium virtutum fontem, pie veneramur cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae Deo Patri, parem hymnum Deo Filio, hymnum parem Spiritui sancto unanimi voce concinimus sine fine dicentes: Sanctus etc.

Communio.


IGNIS iste est perpetuus, qui numquam deficiet in altari.

Postcommunio.

EXAUDI quaesumus, clementissime Pater, preces familiae tuae toto corde tibi prostratae et praesta, ut amantissimi cordis dilecti Filii tui immensa caritas cordis nostri intima magis ac magis penetret, divinum in nobis semper augeat fervorem. Per eundem Dominum nostrum etc.

Commemoratio sacratissimi cordis B. M. V.

DOMINE Iesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens, in eiusdem intemeratae Virginis corde suaviter ac perpetuo quievisti; quaesumus, ut peractis corporis et sanguinis tui mysteriis iugiter in cordibus nostris habitare digneris. Qui vivis et regnas cum Deo etc.



Missa votiva de Spiritu sancto.

Introitus.

SPIRITUS Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, habet vocis. Ps. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Gloria Patri. Spiritus Domini.

Oratio.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti.

Lectio actuum apostolorum.

IN diebus illis, cum audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

Graduale.

BEATA gens, cuius est Dominus Deus eorum: populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. ℣. Verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Alleluia. Alleluia. ℣. Hic genuflectitur. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende. Alleluia.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non

est meus, sed eius, qui misit me, Patris. Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Offertorium.

CONFIRMA hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo tuo, quod est in Ierusalem, tibi offerent reges munera.

Secreta.

MUNERA, quaesumus Domine, oblata sanctifica et corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti.

Praefatio.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes caelos sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat. Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes: Sanctus etc.

Communio.

FACTUS est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, ubi erant sedentes, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei.

Postcommunio.

SANCTI Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio et sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti.

Ad postulandam gratiam Spiritus sancti missa ut supra, cum sequentibus orationibus:

Oratio.

DEUS, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus sancti.

Secreta.

HAEC oblatio, quaesumus Domine, cordis nostri maculas emundet, ut sancti Spiritus digna efficiatur habitatio. Per Dominum.

Postcommunio.

CONCEDE, quaesumus omnipotens Deus, sanctum nos Spiritum votis promereri sedulis, quatenus eius gratia et ab omnibus liberemur tentationibus et peccatorum nostrorum indulgentiam percipere mereamur. Per Dominum.



Missa de passione D. N. Iesu Christi.

Introitus.

HUMILIAVIT semet ipsum Dominus Iesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ps. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem. Gloria Patri. Humiliavit.

Oratio.

DOMINE Iesu Christe, qui de caelis ad terram de sinu Patris descendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut in die iudicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite benedicti. Qui vivis.

Lectio Zachariae prophetae.

HAEC dicit Dominus: Effundam super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt; et plangent

eum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem et dicetur: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale.

IMPROPERIUM exspectavit cor meum et miseriam; et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit; consolantem me quaesivi, et non inveni. ℣. Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto. Alleluia. Alleluia. ℣. Ave, Rex noster! Tu solus nostros es miseratus errores? Patri oboediens ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Alleluia.

Post septuages. omissis Alleluia et ℣. seq. dicitur tractus: Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. ℣. Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. ℣. Ipse autem

vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ℣. Disciplina pacis nostrae super eum; et livore eius sanati sumus.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

IN illo tempore sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudaei ergo, (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius.

Offertorium.

INSURREXERUNT in me viri iniqui; absque misericordia quaesierunt me interficere et non pepercerunt in faciem meam spuere; lanceis suis vulneraverunt me et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

OBLATUM tibi, Domine, sacrificium intercedente unigeniti Filii tui passione vivificet nos semper et muniat. Qui tecum etc.

Praefatio de cruce ut supra pag. 95.

Communio.

FODERUNT manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

DOMINE Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti; te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas. Qui vivis et regnas.



Missa in honorem B. M. V.

Introitus.

SALVE, sancta parens, enixa puerpera Regem, qui caelum terramque regit in saecula saeculorum. Ps. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Gloria Patri. Salve.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae.

AB initio et ante saecula creata sum et usque ad futurum saeculum non desinam et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Ierusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

Graduale.

BENEDICTA et venerabilis es, virgo Maria, quae sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. ℣. Virgo Dei genetrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia, Alleluia. ℣. Post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Dei Genetrix intercede pro nobis. Alleluia.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore loquente Iesu ad turbas extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Offertorium.

AVE Maria, gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

TUA, Domine, propitiatione et beatae Mariae semper virginis intercessione ad perpetuam atque praesentem haec oblatio nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per Dominum nostrum etc.

Praefatio.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et te in veneratione beatae Mariae semper virginis collaudare, benedicere et praedicare. Quae et Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit et virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, caeli caelorumque virtutes ac beata seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas, deprecamur supplici confessione dicentes: Sanctus etc.

Communio.

BEATA viscera Mariae virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.

Postcommunio.

SUMPTIS, Domine, salutis nostrae subsidiis da, quaesumus, beatae Mariae semper virginis patrociniis nos ubique protegi, in cuius veneratione haec tuae obtulimus maiestati. Per Dominum.

Missa in honorem s. Iosephi, sponsi B. M. V. et patronis ecclesiae.

Introitus.

IUSTUS ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur; plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Ps. Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime. Gloria Patri. Iustus.

Oratio.

SANCTISSIMAE Genetricis tuae sponsi quaesumus Domine, meritis adiuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Lectio libri Sapientiae.

DILECTUS Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum et magnificavit eum in timore inimicorum et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum et iussit illi coram populo suo et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum et elegit eum ex omni carne. Audivit

enim eum, et vocem ipsius et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram praecepta et legem vitae et disciplinae.

Graduale.

DOMINE, praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi. Alleluia, Alleluia. ℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriae induit eum. Alleluia.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Matthaeum.

CUM esset desponsata mater Iesu, Maria, Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini aparuit in somnis ei, dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. Pariet autem filium et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Offertorium.

VERITAS mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

DEBITUM tibi, Domine, nostrae reddimus servitutis suppliciter exorantes, ut suffragiis beati Ioseph sponsi Genetricis Filii tui Iesu Christi, Domini nostri, in nobis tua munera tuearis, ob cuius venerandam festivitatem laudis tibi hostias immolamus. Per eundem Dominum etc. Praefatio communis pag. 129.

Communio.

IOSEPH, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Postcommunio.

ADESTO nobis, quaesumus misericors Deus, et intercedente pro nobis beato Ioseph confessore tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum etc.



Orationes diversae
dicendae in missa ad libitum orantis.

1. Ad poscenda suffragia sanctorum.


CUNCTIS nos, quaesumus Domine, mentis et corporis defende periculis et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genetrice Maria cum beato Ioseph, beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beato N. et omnibus sanctis salutem nobis tribue benignus et pacem, ut destructis adversitatibus et erroribus universis ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Dominum nostrum etc.

Secreta.

EXAUDi nos, Deus salutaris noster, ut per huius sacramenti virtutem a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in praesenti et gloriam in futuro. Per Dominum.

Postcommunio.

MUNDET et muniat nos, quaesumus Domine, divini sacramenti munus oblatum et intercedente beata virgine Dei genetrice Maria cum beato Ioseph, beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beato N. et omnibus

sanctis a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos et adversitatibus expeditos. Per eundem Dominum etc.

2. Pro Papa.

DEUS omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem pastorem ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice; da ei quaesumus verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum.

Secreta.

OBLATIS, quaesumus Domine, placare muneribus, et famulum tuum N., quem pastorem ecclesiae tuae praeesse voluisti, assidua protectione guberna. Per Dominum.

Postcommunio.

HAEC nos, quaesumus Domine, divini sacramenti perceptio protegat, et famulum tuum N., quem pastorem ecclesiae tuae praeesse voluisti, una cum commisso sibi grege salvet semper et muniat. Per Dominum.

3. Pro imperatore (rege).

QUAESUMUS omnipotens Deus, ut famulus tuus N., imperator (rex) noster,

qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Per Dominum.

Secreta.

MUNERA, Domine, quaesumus oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et imperatori (regi) nostro ad obtinendam animae corporisque salutem et peragendum iniunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem Dominum.

Postcommunio.

HAEC, Domine, oblatio salutari famulum tuum N. imperatorem (regem) nostrum ab omnibus tueatur adversis: quatenus et ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem; et post huius temporis decursum ad aeternam perveniat hereditatem. Per Dominum.

4. Contra persecutores ecclesiae.

ECCLESIAE tuae, quaesumus Domine, preces placatus admitte ut destructis adversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate. Per Dominum.

Secreta.

PROTEGE nos, Domine, tuis mysteriis servientes, ut divinis rebus inhaerentes et corpore tibi famulemur et mente. Per Dominum.

Postcommunio.

QUAESUMUS, Domine Deus noster: ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subiacere periculis. Per Dominum.

5. Pro quacumque necessitate.

DEUS refugium nostrum et virtus: adesto ecclesiae tuae precibus auctor ipse pietatis et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Secreta.

DA, misericors Deus, ut haec salutaris oblatio et a propriis nos reatibus indesinenter expediat et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, sacri dona mysterii humiliter deprecantes, ut quae in tui commemorationem nos facere praecepisti,

in nostrae proficiant infirmitatis auxilium. Qui vivis.

6. Pro vivis et defunctis.

MNIPOTENS sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.


Secreta.

DEUS, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, tribue, quaesumus, ut intercedentibus omnibus sanctis tuis universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat. Per Dominum.

Postcommunio.

PURIFICENT nos, quaesumus omnipotens et misericors Deus, sacramenta, quae snmpsimus, et intercedentibus omnibus sanctis

tuis praesta, ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. Per Dominum.



Missa in die obitus seu depositionis defuncti.



Ommittitur psalmus Iudica, Gloria, Dominus sit in corde meo ante evangelium, Credo, Gloria Patri in fine psalmi Lavabo, et prima oratio ante communionem. Loco Ite missa est dicitur: Requiescant in pace. ℟. Amen et non datur benedictio.

Introitus.



REQUIEM aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Ps. Te

decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Requiem aeternam.

Oratio.

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed iubeas eam a sanctis angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci, ut, quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Dominum etc.

Lectio epistolae b. Pauli apostoli ad Thessalonicenses.

FRATRES, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce

archangeli et in tuba Dei descendet de caelo; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

Graduale.

REQUIEM aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria aeterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.

Tractus.

ABSOLVE, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere iudicium ultionis. ℣. Et lucis aeternae beatitudine perfrui.

Sequentia.

DIES irae, dies illa, * Solvet saeclum in favilla * Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus, * Quando iudex est venturus, * Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum * Per se-

pulchra regionum * Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura, * Cum resurget creatura, * Iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur, * In quo totum continetur, * Unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit, * Quidquid latet, apparebit: * Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus? * Quem patronum rogaturus? * Cum vix iustus sit securus?

Rex tremendae maiestatis, * Qui salvandos salvas gratis, * Salva me, fons pietatis.

Recordare, Iesu pie, * Quod sum causa tuae viae, * Ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus: * Redemisti crucem passus: * Tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis, * Donum fac remissionis * Ante diem rationis.

Ingemisco, tamquam reus, * Culpa rubet vultus meus; Supplicanti parce, Deus.

Qui Mariam absolvisti * Et latronem exaudisti, * Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae: * Sed tu bonus fac benigne, * Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta * Et ab hoedis me sequestra, * Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis, * Flammis acribus addictis, * Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis, * Cor contritum quasi cinis: * Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa, * Qua resurget ex favilla, * Iudicandus homo reus.

Huic ergo pare, Deus: * Pie Iesu Domine, * Dona eis requiem. Amen.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Ioannem.

IN illo tempore dixit Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, et vita; qui credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Offertorium.

DOMINE Iesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo

lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

℣. Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus, tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus; fac eas, Domine, de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini eius.

Secreta.

PROPITIARE, quaesumus Domine, animae famuli tui N., pro qua hostiam laudis tibi immolamus, maiestatem tuam suppliciter deprecantes, ut per haec piae placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum etc.

Praefatio communis.

VERE dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Caeli caelorumque virtutes ac beata seraphim socia exsultatione concele-

brant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus etc.

Communio.

LUX aeterna luceat eis, Domine, cum sanctis tuis in aeternum, quia pius es. ℣. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Cum sanctis tuis in aeternum, quia pius es.

Postcommunio.

PRAESTA, quaesumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui N., quae hodie de hoc saeculo migravit, his sacrificiis purgata et a peccatis expedita indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. Per Dominum.



In missis cotidianis defunctorum.

Introitus Requiem ut supra pag. 124 deinde:

Oratio.

Pro defunctis episcopis seu sacerdotibus.

DEUS, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, praesta quae-

sumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

DEUS, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

FIDELIUM Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis.

Lectio libri apocalypsis beati Joannis apostoli.

IN diebus illis audivi vocem de caelo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.

Deinde sequitur Graduale et Tractus, ut supra. Sequentia **Dies irae** ut supra ad arbitrium orantis.

Sequentia ✠ sancti evangelii secundum Joannem.

IN illo tempore dixit Iesus turbis Iudaeorum: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Offertorium ut supra pag. 128.

Secreta.

Pro defunctis episcopis seu sacerdotibus.

SUSCIPE, Domine quaesumus, pro animabus famulorum tuorum pontificum seu sacerdotum quas offerimus hostias, ut,

quibus in hoc saeculo pontificale seu sacerdotale donasti meritum, in caelesti regno sanctorum tuorum iubeas iungi consortio. Per Dominum etc.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

DEUS, cuius misericordiae non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostrae; et animabus fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem, per haec sacramenta salutis nostrae cunctorum remissionem tribue peccatorum.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

HOSTIAS, quaesumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, ut, quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium. Per Dominum.

Postcommunio.

Pro defunctis episcopis seu sacerdotibus.

PROSIT, quaesumus Domine, animabus famulorum tuorum pontificum seu sacerdotum misericordiae tuae implorata clementia, ut eius, in quo speraverunt et cre-

diderunt, aeternum capiant, te miserante, consortium. Per Dominum etc.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus.

PRAESTA, quaesumus omnipotens et misericors Deus, ut animae fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuae obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti a peccatis omnibus expiatae, lucis perpetuae, te miserante, recipiant beatitudinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

ANIMABUS, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas et tuae redemptionis facias esse participes. Qui vivis etc.



Preces ad s. missam.

Intentio.



ESU Christe, Verbum ab aeterno ex Patre genitum! qui ss. sacramentum corporis et sanguinis tui in ultima cena instituisti et fidelibus tuis mandasti, ut hoc infinitum sacrificium in commemorationem amarissimae passionis et mortis tuae solemniter in s. missa repetant; supplex te exoro, ut meritorum et bonorum, quae nobis morte tua comparasti et in ss. eucharistiae mysterio applicas, me participem facias. Praesta mihi, ut s. missae cum attenta contemplatione, viva fide, firmissima spe, summo amore adsim.

O Domine et Salvator noster, verecundissimo animo hanc s. missam tibi offero in memoriam passionis et mortis tuae, in honorem matris tuae semper virginis Mariae et omnium sanctorum, in absolutionem et remissionem peccatorum meorum, in salutem animae meae, in commodum totius ecclesiae catholicae, in solacium omnium fidelium defunctorum, qui adhuc purgantur sicut aurum in fornace, ut visione beatifica gloriae tuae mox digni

efficiantur. Exaudi deprecationem meam, Domine Iesu Christe! et omnibus tuis saluti esse concedas hoc sacrificium, quod in eorum redemptionem instituisti.

Ad introitum.

INTROIBO ad altare tuum sanctum, omnipotens sempiterne Deus! Tu laetitia mea a iuventute, te elegi defensorem et patronum meum; ad te confugio ab inimicis animae meae. — At tu, qui es ipsa sanctitas, nihil invenis in me nisi inoboedientiam et peccatum! Quomodo oculos ad caelum levem? A longe stabo et acerbissima paenitentia afflictus peccata mea confiteor.

PATER omnipotens! coram te, coram omnibus sanctis, coram sacerdote in altari sacrificante, coram populo fideli hic congregato paenitens confiteor, me peccatorum esse nimium. Domine, propitius esto mihi peccatori! Miserere mei, benignissime et misericors Pater! In remissionem peccatorum meorum, in impetrationem gratiae tuae sanctificantis et vitae aeternae tibi vitam, passionem, et mortem Filii tui unigeniti cum meritis beatissimae Matris eius et omnium sanctorum offero.

DEUS Salvator, Iesu Christe, miserere mei et meritorum tuorum redde me participem, ut puro amore tecum, ut palmites cum vite, coniunctus et gratia tua plenus, fructus feram; da, ut imitatione fideli tui similior et promissionibus tuis dignior fiam.

SPIRITUS sancte, consolator fidelium, miserere mei! Illustra rationem, move cor, robora voluntatem meam, ut vera cognoscam, mendacium vitem, omnia mala et prava detester et averser. Da mihi fidem inconcussam, firmam spem, amorem perfectum, promptam oboedientiam, ut semper a te ducar et guberner in via salutis. Laus, honor, virtus, gloria tibi, sancta Trinitas, Pater, Fili, Spiritus sancte! nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Ad orationes.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, respice quaesumus, nos famulos tuos. Propitius suscipe supplices orationes ecclesiae tuae. Secundum infinitam misericordiam tuam remitte peccata nostra, purga corda nostra, sanctifica animas nostras. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie et in pace eo frui nobis concede. Coniunge fideles concordia,

ad verum cultum tuum animos errantium converte; irrita fac consilia impiorum, regnum sanctum tuum — veram ecclesiam Iesu Christi — magis magisque inter nos propaga. Fave praedicationi sancti evangelii, quod Filius tuus dilectus nobis de caelo detulit eiusque apostoli nuntiaverunt, per quod das potestatem filios tuos fieri his, qui credunt in nomine Verbi. Ure corda nostra igne amoris et pietatis, imple nos firma spe, ut tibi deditissimi in aerumnis, laeti in spe, beati in morte, ut viventes et moribundi te glorificemus et quem misisti, Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum, Pater caelestis, vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad offertorium.

SUMME Sacerdos et Salvator mundi, Iesu Christe! Sanguinem tuum pretiosissimum in patibulo crucis verum piaculum pro peccatis nostris Patri caelesti ultro obtulisti. Benedictus tu, Fili Dei vivi! Nobis in sanctissimo eucharistiae sacramento corpus et sanguinem tuum perpetuum amoris tui pignus, perenne mortis tuae monumentum, spiritualem animae cibum reliquisti. Benedictus

tu, Iesu Christe, Fili Dei vivi! Tu hoc sacrificium, quod a sacerdotibus offertur, instituisti et mandasti, ut usque ad consummationem saeculi in ecclesia tua celebretur. Domine Iesu Christe! qui propter nostra peccata mortuus es, propitius sis mihi et omnibus peccatoribus et praesta, ut nobis virtus huius sacrificii tota purificationi et sanctificationi sit.

SANCTISSIME Pater omnipotens, aeterne Deus! una cum immaculato sacrificio, quod tibi sacerdos nunc in altari offert, offero ego quoque tibi omnia dona et beneficia, quae per tuam bonitatem usque ad hoc tempus accepi. Hoc sacrificium meum coniungo et unio cum illa ineffabili caritate, quae Filium tuum unigenitum commovit, ut gloria caelesti destitutus naturam humanam et formam servi acciperet et tibi fieret oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propitius respice infinita merita Unigeniti tui, quae tibi supplicissimus offero.

HUMILITATE et contritione perfusus accedo ad altare tuum, in quo vinum in verum Iesu Christi sanguinem transsubstantiabitur, ut laver sanctissimo Redemptoris san-

guine, ut sanctificer virtute huius inexhausti fontis vitae et beatitudinis.

UNA cum amore et studio, quo Iesus Christus omnes passiones et aerumnas patiens toleravit et tibi sacrificavit, etiam omnes miserias et calamitates, quas tu in me immittis, impono altari et supplex te oro, ut simul cum sacrificio sanctae missae et hanc meam patientiam propitius accipias et ad animae meae salutem convertas.

OMNES meas cogitationes et cupiditates, omnia verba et opera, quietem meam et orationem, quaecumque sum et habeo, tibi dedico ad gloriam nominis tui. Recipe me ut filium perditum in infinitam misericordiam tuam et in aeternum ut tuus sim facias.

Ad praefationem.

FRETUS amori tuo patrio, qui supplicem meam caritatem non respuet, sed intuitu meritorum Iesu propitius accipiet, audeo concinere hymno caelestium angelorum et beatorum et humillimo animo clamare: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt caeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!

Post praefationem.

MISERERE nostri, qui sine tua gratia nihil possumus, et ecclesiae tuae sanctae, quae per totum orbem terrarum est propagata, auxiliare, ut fideles tui per te pacem habeant et ubique locorum tua protectione fruantur.

PRAEFICE gregi tuo pastores vere apostolicos, adiuva omnes magistratus, ut secundum tuam voluntatem praesint et veram subditorum salutem optime promoveant.

CONVERTE, Domine, fratres errantes ad veram fidem; te duce in viam veritatis revertantur. Illustra infideles, consolare afflictos, sana aegros, miseris et pauperibus succurre. Tuere parentes nostros, consanguineos, benefactores, amicos; da, ut constantes in fide sint, vitam ei accomodent, aliquando gloriam beatitudinis consequantur.

QUAE vero tibi in nobis displicent, propitius remove et praesta, ut mala vitemus et bona faciamus, ut secundum tuam voluntatem vivamus et officia nostra fideliter exsequamur.

HOC salutiferum sacrificium, quod tibi sacerdotes ecclesiae offerunt, in perfectam

remissionem peccatorum nostrorum et in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis accipe. Confirma fidem nostram, ut firmiter credamus, quae non cernimus, et quaeramus, quae nos conservent et alant in vitam aeternam. Amen.

Ad elevationem s. eucharistiae.

DOMINE Iesu Christe, Fili Dei vivi, ipse es praesens carne et sanguine tuo. Adoro te infima cum reverentia et humilitate. Tu refugium meum, spes mea, amor meus! Tu Deus meus, qui unus es mihi omnia! Tibi offero cor meum. Operare amore tuo in me, ut pie et sancte vivam. Amen.

Ad elevationem s. calicis.

O VERE et vive sanguis Christi Iesu! adoro te cum omnibus angelis et sanctis. Tu in meam salutem et placationem effusus es; ablue peccata mea, purifica et confirma cor meum in vitam aeternam. Amen.

Post transsubstantiationem.

IESU, Deus abscondite in sanctissimo sacramento! Conscius fragilitatis meae supplex procumbens ad pedes tuos adoro te vere praesentem in altari. Mi Deus, aman-

tissime Redemptor, ego, infimus omnium, attamen salvatus a te per pretium sanguinis tui effusi, accedo ad misericordiam tuam, quam enuntiat hoc admirabile mysterium tuae caritatis. Accedo ad fontem gratiarum, ad solem iustitiae, cuius radii per universum orbem effunduntur et liberaliter omnes illustrant, qui corda ad eos non claudunt. Ipse hoc sacramentum amoris instituisti, ut nos amplexeris et amore tibi iungas. Idem perpetuum monumentum est tuae caritatis, quae te perduxit ad acerbissimam mortem in cruce.

IESU! genuflexus coram hoc mirabili amoris mysterio te supplex rogo inaestimabilem gratiam amoris. Tu Deus cordis mei; averte me ab omni inordinato studio rerum terrenarum, ut cor meum totum tui proprium sit et super omnia diligat te, amorem excedentem omnem felicitatem.

IESU, Deus homo adorande in sanctissimo sacramento, tu oblectatio vitae, lux oculorum, solacium in miseria, portus, quem petit desiderium meum, pignus gloriae, socius migrationis in terra, spiritualis victus in solitudine huius vitae, medicamentum vulnerum, clemens iudex peccatorum, magister

ignorantiae meae, dux in via mea, dulcis finis, in quo anima mea requiescit, speculum, in quo seipsam spectat, baculus, cui initur, pretiosus thesaurus gloriae, Iesu, tu omnia in omnibus, Iesu, cui omne genu flectatur caelestium, terrestrium ac infernorum, Iesu, quem benedicens omnis lingua confitetur te — Unigenitum — in gloria Dei Patris esse; Iesu, laetitia exsultans in corde meo omnes creaturas tuas invito, ut te, aeternum et adorandum amorem, in sanctissimo sacramento mecum laudent, ament et glorificent per omnia saecula saeculorum.

Oratio pro defunctis.

SANCTISSIME Pater, Deus iuste et misericors! Una cum Redemptore nostro, qui nunc pro nobis in altari sanctissimum sacrificium etiam in remissionem venalium peccatorum fratrum suorum offert, petimus liberationem animarum patientium in purgatorio. Tibi offerimus sacrificium amarae passionis Unigeniti tui eique adiungimus suffragia et merita omnium sanctorum martyrum, qui eum in via passionis crucem suam portantes secuti sunt. Misericors Pater, respice Iesu extremam dimicationem in oliveto et sanguineum sudorem et miserere caro-

rum cognatorum nostrorum, quibus illic pro peccatis suis patiendum est; Iesus enim etiam pro illis in horto sanguinem sudavit. Respice eius cruentam flagellationem et miserere animarum, quarum poenis nos sive scientes sive inscii causa fuimus: Iesus enim pro eis flagellatus est. Respice eius horridam spinarum coronam et miserere eorum, quibus illic gravissimae peccatorum poenae luendae sunt: Iesus enim pro eis spinis coronatus est. Respice iter aerumnosum, in quo Salvator gravem crucem suam portavit, et miserere earum animarum, quae liberationi ex purgatorio proximae sunt: Iesus enim pro illis gravem crucem portavit. Respice Salvatoris morientis angorem trium horarum et miserere omnium animarum, quarum nemo terrarum singillatim reminiscitur: Iesus enim pro his omnibus in crucis patibulo passus est. Requiem aeternam dona fidelium animis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Ad Agnus Dei et communionem.

AGNUS Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri! Domine, non sum dignus, ut intres in cor meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.

ADORO te, abscondite Deus et Redemptor, hoc sacrato momento, quo sacrificium in nobis perficis, ascendens per sanctam communionem ad solium Patris caelestis tamquam hostia amoris nostri. Oro te, ut saltem spiritualiter me visites et confirmes, cum indignus sim, qui re vera corpus sanctum tuum in me recipiam; nam sine te vivere non possum. Da mihi pauperi frustula cibi sancti tui, quo felices, qui hodie ad cenam tuam accedunt, ex thesauro gratiae et caritati tuae alis. Tu in me et ego in te! Ne in aeternum a te secernar! Iesu, tibi vivo! Iesu, tibi morior! Iesu, tuus sum vivus et mortuus! Iesu, propitius esto! Iesu, miserere mei! Iesu, ignosce peccata mea!

Post communionem.

PATER caelestis, gratias ago tibi hodie et semper ex animo pro omnibus gratiis et beneficiis, quae mihi participi ecclesiae tuae catholicae a puero tribuisti. In hac sancta fide vivam et moriar. Gratias ago tibi, quod interfui huic sancto missae sacrificio. Ignosce mihi omnia delicta, quae commisi per hoc tempus; adiuva bona proposita mea tuo auxilio; evenire facias om-

nia vota matris nostrae, ecclesiae tuae sanctae, quae sacerdos in benedictione comprehendit. Benedicat nos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

CONFIRMATUS et roboratus nunc excedo e domo Patris mei caelestis, terrestri habitaculo Salvatoris ad opus meum cotidianum, quod providentia divina mihi attribuit. Iesu, qui absconditus in sacro mysterio eucharistiae noctu et interdiu inter tuos commoraris, ducas me ad opus meum gratia tua et solacio tuo. Quae mihi erunt perficienda et quae me exspectant miseriae, faciam et tolerem, quia providentia tua ea mihi imposuit, et quia vis, ut omni tempore haec ipsa et non alia faciam. Omnia mea propitius accipe paenitentiam peccatorum et merita ad vitam aeternam, coniuncta cum passione et morte tua. Amen.

Gratiarum actio post missam.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui hominem creasti, ut studio virtutis ad coronam vitae aeternae perveniat; ego, a te creatus, ex animo hunc vitae meae finem consequi cupio. Quamvis vero in s. ecclesia tua complures bene beateque vivendi viae ac

rationes praesto sint, quae suo quaeque modo homines ad salutem perducunt, ex animo te rogo: ostende mihi voluntatem tuam et ad ea munera me voca, in quibus facillime saluti meae consulere et tibi optime servire valeo. Tu solus vocare et unumquemque nostrum in optima vitae sorte ponere potes.

PROFITEOR coram te, Deus et Rex omnium, iuravisse et statuisse custodire iudicia iustitiae tuae. Quamcumque viam mihi ostendes, hanc ibo. Etsi sit gravis, tu potens es; sit exigua, tu es sapiens; sit aerumnosa, tu es benignus. Nemo potest venire ad te, nisi tollat crucem suam. Impone mihi eam crucem, quae placet maiestati tuae. Tu es Dominus, nos servi; tu Pater, nos liberi; tu Rex, nos tibi subiecti; tu Pastor, nos oves. Propitius effice, ut vocem tuam audiam, cognoscam et sequar; nam qui eam non audit, non est ex ovibus tuis neque ex numero electorum tuorum, ad quos referri cupio. Ne me paratum ad sequendum relinquas; duc me, ut inveniam pascuum et vitam consequar in te, vita mea et summum bonum meum. Amen.



Sacrificium missae.

Beatae Mechtildi dicebat Christus: Pro certo dico tibi, me ei, qui devote missam audierit, in extremis suis pro consolatione et defensione tot nobiles personas de sanctis meis missurum, quot missas devote audierit. Et alias dicebat: Nullum tam gravem peccatorem aut hostem suum umquam in missa praesentem fore, quem non patienter sufferat, eique cum gaudio omnes culpas suas, dummodo id petierit, condonet. Ideo libenter ad missam vade hasque preces missales vere efficacissimas, in quibus verus modus audiendi sacrum continetur, postpositis aliis precibus fac tibi familiares.

Oratio in principio missae valde meritoria.



MNIPOTENS, sempiterne Deus, cum iuxta veram ecclesiae fidem sacrum missae sacrificium a Filio tuo institutum divinae maiestati tuae summum honorem, laudem et beneplacitum pariat atque per illum solum et unicum condigne coli et honorari possis ideo ex summo laudis et gloriae tuae desiderio huic praesenti sacrificio, summa qua potero devotione interesse atque una

cum sacerdote hanc ss. oblationem offerre intendo, sicut et actu offero; non solum hoc, verum et omnia totius mundi sacrificia, quae hodierna die offeruntur, protestans, quod si penes me esset, quod haec offerrentur vel omitterentur, omnes vires meas ad eadem promovenda impenderem. Immo si ex cunctis terrae lapidibus suscitare possem devotissimos sacerdotes, qui omni die summa cum devotione hoc sacrificium laudis tibi offerrent, certe hac hora id ipsum perficerem. Cum autem id penes me non sit, saltem rogo te, sanctissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum, ut omnibus et singulis sacerdotibus, maxime iis, qui forte hodierna die tam beneplacitum tibi sacrificium neglegenter oblaturi sunt, spiritum gratiae et devotionis infundas, quo tam tremendum mysterium digne et devote peragere valeant. Mihi quoque et omnibus circumstantibus concedas, ut cum reverentia et devotione huic sacratissimae actione assistere atque fructus eiusdem participes fieri mereamur. Confiteor tibi Deo omnipotenti et beatae Mariae virgini et omnibus sanctis tam mea quam totius mundi peccata eaque super sacrum hoc altare depono, ut per virtutem huius sacrificii prorsus aboleantur. Quod nobis praestare dig-

neris per amorem illum, qui te continuit, cum dilectissimus Unicus tuus per manus impiorum immolaretur. Amen.

Cum missa ab introitu usque ad oblationem semper variet, hinc et tu pro libitu tuo orationes tuas variare poteris.

Ad offertorium.

PIISSIME Pater, in unione illius excellentissimae caritatis, qua Unigenitus tuus omnem influxum divinitatis, qui in eius humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens refudit in abyssum originis suae, offero tibi omnia et singula bona, quae ex ineffabili benignitate tua mihi umquam contulisti eaque in summum gratitudinis affectum una cum meritis et virtutibus eiusdem Filii tui super altari tuo in sempiternae laudis sacrificium immolo. Maxime vero offero tibi cor meum, sed heu! nimis sordidum et foetens, illudque sacro huic calici immergo ea intentione et desiderio, ut omnes illae orationes et benedictiones, quae super hunc calicem fient, etiam super cor meum pronuntientur, atque per virtutem istius ineffabilis consecrationis, qua vinum in Filii tui sanguinem convertetur, id ipsum in tui amorem efficaciter convertatur.

AD haec in unione amoris et gratitudinis illius, qua Filius tuus omnes adversitates suas tibi obtulit, offero tibi super altare tuum, quidquid adversi tam mihi quam ulli hominum e corde tuo paterno ad salutem nostram misisti, rogans, ut id omne una cum hoc sacrificio in odorem suavitatis suscipias nobisque ad salutem pervenire concedas.

DEMUM in unione resignationis Unigeniti tui offero et resigno me in tuam sanctissimam voluntatem, ex toto corde desiderans, ut per me, in me et circa me tuum in omnibus laudabilissimum beneplacitum semper perficias. Ad quod perficiendum praebeo tibi, Regi regum Domino, totam substantiam corporis et animae meae ad serviendum tibi pro gloria tuae colendae maiestatis. Amen.

Cum beata Gertrudis sic se Christo obtulisset, ait ad eam: Ego hoc munere tuae bonae voluntatis utar quasi pro regio sceptro et de eo coram omnibus sanctis in perpetuum gloriabor. Et quotienscumque tu mihi hanc intentionem renovaveris, totiens idem sceptrum amoenissimum floribus in manu mea efflorebit.

Ad Orate fratres dic cum ministro Suscipiat“ etc.

Ad secretas.

RESPICE, pie Pater, de sede maiestatis tuae et de excelso caelorum habitaculo super hanc oblationem, quam per manus sacerdotis huius offert tibi sponsa tua sancta mater ecclesia; et per virtutem eiusdem placare super multimodis transgressionibus nostris. Suscipe quaeso eandem, quam ego indignisssimus famulus tuus nomine meo et nomine totius universitatis offero tibi, Deo meo vivo et vero, una cum omnibus meritis dilectissimi Filii tui totoque thesauro s. ecclesiae pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et neglegentiis meis et pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Ad praefationem.

Cum beata Mechtildis pro quodam oraret, ait Dominus: Ecce huic remitto omnia peccata sua. In quorum satisfactionem, dum in praefatione dicitur **Per quem maiestatem** laudabit me per verba: **Piissime Iesu, adoro** etc. et dicat unum **Pater noster,** quod Deo offerat per me: sicque supplebuntur per me eius neglegentiae. Et si quis alius hoc fecerit, pie credat se eandem gratiam impetrare posse.

PIISSIME Iesu, adoro, laudo et glorifico te in unione istius supercaelestis laudis, qua reverendissima Trinitas se ipsam laudat et a semet ipsa laudatur; quae deinde effluit in beatissimam virginem Mariam et in omnes angelos et sanctos, qui gloriosam maiestatem tuam incessabili et incomprehensibili voce laudant, adorant sociaque exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus etc.

Hic in suppletione neglegentiarum tuarum dic unum Pater noster, quod offer, ut sequitur:

SANCTISSIME Pater, offero tibi hanc orationem in unione istius laudis, qua caeli et terrae omnesque creaturae te laudant et magnificant. Quam suscipere digneris per Iesum Christum Filium tuum, per quem, quidquid tibi offertur, ascendit ad te in summo beneplacito: rogans, ut per eundem Filium tuum omnia peccata mihi remittantur omnesque neglegentiae suppleantur. Amen.

Ad canonem.



DEUS ineffabilis, iam incipiunt illa tremenda mysteria, quae nec cherubim nec seraphim nec omnes virtutes caelorum plene

valent comprehendere: cum tibi soli cognitum sit, cum quanta amoris magnitudine te in dies pro salute fidelium Deo Patri super altari in hostiam laudis et placationis offeras. Haec sacrosancta arcana universi angelorum ordines summa demissione venerantur, cum videant Regem suum et Dominum, qui olim hominem redempturus summo amore descenderat, nunc iterum pro salute eiusdem hominis ineffabili quodam modo super altare descendere atque sub vilissimis panis et vini speciebus se abdere.

O BONE Iesu, tam inaestimabiliter tamque excellenter reverendum est opus illud, quod nunc operaberis, quod parvitas mea nequaquam audet ad hoc vel respicere. Unde demergens me iacebo in profundissima valle humilitatis, quam potero investigare exspectans ibidem portionem meam, quia omnibus electis inde salus proveniet. O utinam et milies utinam, piissime Iesu, in hoc opere tuo te adiuvare efficereque possem, ut haec oblatio sacratissima secundum dignitatem suam plenum sortiretur effectum: certum libentissime quantumcumque difficili labore ad hoc inservire vellem. Rogo ergo te, da sacerdoti huic, ut tali dignitate te tractet et offerat, qua-

tenus haec oblatio omnibus fidelibus vivis atque defunctis summe prodesse valeat. Amen.

Ad adorationem hostiae.

SALVE Iesu dulcissime, cum summa humilitate adorans veneror te. *Hic pectus percutiens dic:* O Iesu, miserere mei! O bone Iesu, parce mihi! O piissime Iesu, propitius esto mihi peccatori!

Oratio ad Patrem.

O AMANTISSIME Pater, in unione amoris illius, quo Filius tuus olim in cruce et modo in altari se obtulit, offero tibi eundem pro salute totius ecclesiae. Respice ergo illam virgineam carnem crudeliter flagellatam, colaphis et alapis caesam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, livoribus tumidam, clavis confixam, lancea perfossam. Illa ergo pietas, quae Filium tuum traxit et vicit, ut se ipsum in cruce immolaret, et modo in altari se tibi offeret, ipsa te rogat Pater, miserere nobis!

Ad adorationem calicis.

SALVE, pretiosissime sanguis Domini mei, cum summa devotione adorans veneror te.

Hic ter pectus percutiens dic: O sacer sanguis ablue me! O rosee sanguis purifica me! O pretiosissime sanguis clama ad Deum, ut misereatur nostri!

Oratio post elevationem.

SANCTISSIME Pater, cum Unigenitus tuus iam vere in altari praesens, semet ipsum fecerit sacrificium et victimam pro peccatis nostris; ideo in amore amoris illius, quo ille se ipsum olim in cruce et modo in altari obtulit, offero tibi sanctissimum eius corpus et sanguinem, humanitatem et divinitatem, virtutes et perfectiones, passionem et mortem; et in unione horum offero tibi omnes virtutes, merita et gratias b. virginis Mariae omniumque sanctorum nec non et omnia bona opera cunctorum hominum totumque thesaurum sanctae ecclesiae. Quibus specialiter addo, quidquid ego meique speciales amici umquam boni peregimus aut mali pro gloria tua sustinuimus. Et hanc oblationem una cum hoc et totius orbis sacrificiis offero tibi, o Pater aeterne, per dilectum Filium tuum in virtute Spiritus sancti ad tuam supremam laudem et gloriam in recognitionem tuae supremae maiestatis et dominii, in gratiarum actionem omnium bene-

ficiorum ulli umquam creaturae collatorum et in plenam abolitionem omnis iniuriae ab ullo umquam tibi irrogatae.

DEINDE offero tibi eandem in augmentum gaudii et gloriae humanitatis Domini nostri Iesu Christi, in cultum et venerationem omnium mysteriorum vitae et mortis eius et in augmentum gloriae et beatitudinis b. virginis Mariae omniumque sanctorum, maxime patronorum meorum et s. angeli custodis mei et quorum hodie memoria colitur.

TERTIO offero tibi eandem pro me misero peccatore et pro omnibus meis spiritualibus et carnalibus amicis maxime pro N. N. et pro omnibus Christianis vivis atque defunctis maxime pro N. N. rogans, ut illam suscipere digneris in condignam gratiarum actionem, pro omnibus bonis in corpore et anima nobis impensis, ad impetrandam omnem gratiam nobis necessariam, ad avertendum omne malum corporale et spirituale, quod saluti nostrae obficeret et demum in perfectissimam remissionem et satisfactionem omnium peccatorum et neglegentiarum nostrarum. Pro quibus offero tibi omne beneplacitum, quod tibi exhibuit omnemque satisfactionem, quam tibi pro debitis nostris

persolvit Iesus Christus Filius tuus Deus noster. Per ipsum et cum ipso et in ipso sit tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hic cum sacerdote ora Pater noster cum sequenti oblatione pro peccatis totius mundi, quo summum Deo beneplacitum exhibebis, uti patet ex s. Gertrude.

Oblatio.

BENIGNISSIME Iesu, hanc orationem offero tibi in unione illius perfectissimae intentionis, qua eadem in corde tuo dulcissimo sanctificata ad nostram salutem est edita in emendationem omnium commissorum et in suppletionem omnium neglegentiarum, quae umquam ex humana fragilitate, ignorantia et malitia sunt contracta contra tuam insuperabilem omnipotentiam, inscrutabilem sapientiam ac supereffluentiam tuae gratuitae bonitatis. Amen.

Ad Agnus Dei.

Roga Christum, ut se offerat Deo Patri, sicut ipse se in omni missa facere beatae Mechtildi revelavit.

AGNUS Dei! miserere nobis et offer te ipsum Deo Patri cum omni humilitate et patientia in satisfactionem debitorum nostrorum.

AGNUS Dei! miserere nobis et offer te ipsum Deo Patri cum omni amaritudine passionis tuae in perpetuam reconciliationem.

AGNUS Dei! miserere nobis et offer te ipsum Deo Patri cum omni amore divini cordis tui in suppletionem omnium bonorum operum, quae nobis desunt. Amen.

Ad Domine non sum dignus.

DOMINE, non sum dignus, ut me terra ferat, sed propter temet ipsum remitte mihi peccata mea.

DOMINE, non sum dignus, ut dicar creatura tua, sed propter amaritudinem passionis tuae condona mihi debita mea.

DOMINE, non sum dignus, ut sanctum nomen tuum pronuntiem, sed per virtutem huius sacrificii largire mihi gratiam tuam. Amen.

Hic spiritualiter communica, dicens cum b. Gertrude et Mechtilde:

O VIVIFICI fontis profluvium, o aromatice sapor divinarum dulcedinum! ecce tibi propono in tui ipsius plenitudine guttulam meae miserabilis indigentiae, qua, licet minus iusto, doleo et semper dolebo, quod ob meam nimiam indignitatem animam meam ab infastibilibus epulis tuis ieiunam continere debeo.

ET nunc formator et reformator substantiae meae rogo, ut hac hora tua omnipotente sapientia atque dulci pioque cordis tui amore me praepares, ut digne te in animam meam recipere valeam, tuque in me agere et perficere queas omne id, quod ab aeterno in me agere decrevisti iuxta omne beneplacitum divinae voluntatis tuae.

Ad quod impetrandum, si tempus ferat, dic unum **Pater noster** sicut Christus b. Mechtildem docuit.

Communio.

LAUDO te, o amor fortissime; glorifico te, o amor dulcissime; magnifico te, o amor benignissime in omnibus et pro omnibus bonis, quae gloriosissima tua deitas et beatissima humanitas in nobis operata est et adhuc operabitur ab aeterno in aeternum

per nobilissimum instrumentum divini cordis tui. Amen.

Postcommunio.

ECCE, Pater caelestis, ad altare tuum misit tibi sancta mater ecclesia hostiam istam superdignissimam, quam tu olim misisti immolandam pro nobis. Illam ego suscipere digneris in amore illo superexcellente, quo Filium tuum de regione nostra ad regnum tuum revertentem tibique Deo Patri omnem fructum humanitatis suae gloriosaque vulnera carnis suae praesentem suscepisti. Non recedant, piissime Pater, ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis. Igitur virtute huius oblationis incruentae miserere mei et omnium peccatorum cunctorumque fidelium vivorum ac defunctorum: da illis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Amen.

Benedictio.

BENEDICAT me, bone Iesu, tua omnipotentia, instruat me tua sapientia, repleat me tua dulcedo, trahat et uniat me tibi tua bonitas in saecula. Amen.

Ad **Et verbum caro factum est** cum devota gratitudine te inclinans dic:

Gratias tibi ago, bone Iesu, quod prae amore mei dignatus es homo fieri.

Si quis hoc fecerit, ait Christus, ei dignantissime me inclino et ex intimo cordis affectu Deo Patri omnem fructum beatae humanitatis meae offero in augmentum beatitudinis illius hominis.



Preces ad sacrificium missae.

Oratio praeparatoria.


IESU, Salvator mi atque Redemptor! Ecce adsto altari tuo, in quo sacrificium cruentum a te quondam in patibulo crucis oblatum modo incruento nunc renovabitur. Utinam illis ipsis affectibus cor meum moveretur, quibus modum fuisset, si in Calvariae loco tibi adstans passionem tuam meismet oculis considerassem! Utinam huius missae sacrificium tanto me perfundat peccatorum meorum dolore, quanto mater tua atque discipulus tuus amantissimus sub cruce moti sunt de tua passione! Utinam te in altari conspiciens eandem in misericordia tua collocem fiduciam, quam latro ille paenitens in te crucifixo collocavit! Utinam nunc ex sacrificio crucis incruento in mentem meam largus ille passionis tuae fructus redundet, qui olim ex cruento in universum mundum manavit! Utinam exinde hoc praeterea mihi contingat beneficium, quod speciatim nunc impetrare a te velim! Hic

intentio specialis inseratur. Hoc mihi per tuam clementiam largire, Salvator mundi, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad introitum.

DOMINE misericordiarum, qui adeo dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum pro eo salvando tradideris in mortem: faciem tuam ne avertas, quaeso, a me indigno famulo tuo, qui nunc ad contemplandum et una cum sacerdote offerendum missae sacrificium accedo. O! quis ego, qui coram te assistere audeo! Ecce confiteor me peccasse nimis cogitatione, verbo et opere — mea culpa — mea maxima culpa. Plenus peccatorum maculis et pudore summo perfusus clamo ad te: Miserere mei! Ex intimo corde meo hicce iterum iterumque ad te ascendit gemitus, dumque ascendit, crescit fiducia mea. Ergo, Domine, qui neminem vis perire, sed salvari omnes, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. En! cor meum ad te convertitur et te amare tibique servire omni ardore desiderat. Remitte clementer, quod peccavi, et redde gratiam, quam perdidi. Audi et exaudi me propriis destitutum meritis, sed confidentem

meritis Iesu Christi Filii tui, qui tecum in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ad Gloria.

GLORIA in excelsis Deo! Utinam canticum hoc sonorum, quo caelestia quondam angelorum agmina nativitatem Salvatoris nostri celebrarunt, sine fine et ex animis sinceris per universum mundum insonet! Gloria Patri, cuius omnipotentiam ac benevolentiam cuncta creata praedicant. Gloria Filio, cuius amore rubet crucis patibulum, tristis evanescit mors et vita beata resurgit. Gloria Spiritui sancto, qui lapsos erigit, immundos lavat, miseros caelestibus solatur gaudiis. Gloria in excelso Deo! — Et in terra pax hominibus! Cesset querela gemens, cesset angor premens, cesset maestitia lacrimas fundens! Eadem enim Dei benignitas nobis semper arridet: modo allicit gaudiis, modo attrahit doloribus, ut acquiramus pacem internam in nobis et lucremur pacem externam in mundo et inveniamus pacem aeternam in caelis. Clamet ergo homo felix et miser, clamet universa creatura: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Amen.

Ad collectas.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui dixisti: Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum: respice de excelsa sede maiestatis tuae congregationem nostram, quae nunc collectas ex cordibus devotis preces per sacerdotis ministerium et per intercessionem sanctorum ad te mittit.

LARGIRE nobis gratiae tuae auxilium, ut cunctis vitiorum vinculis soluti bonis abundemus operibus tibique in dies magis placeamus.

TRIBUE, quaesumus, omnia, quae prosunt sanctae ecclesiae tuae prosperitati, verae religionis propagationi et pietatis caritatisque in orbe terrarum incremento.

EFFUNDE, Domine, miserationes tuas super rempublicam nostram, ut tempora tua protectione sint tranquilla omnisque a te promanans rerum terrestrium abundantia civibus universis proficiat ad vitam aeternam.

MISERERE omnium, pro quibus orare imprimis tenemur: parentum, cognatorum, amicorum et benefactorum nostrorum. Ex-

audi preces et vota ad te clamantium et eorundem tum animae tum corporis necessitatibus subveni.

RESPICE omnes aegrotos, afflictos, tentatos et in aliquo periculo versantes: praesta illis auxilium, consolationem et patientiam, prout expedit gloriae tuae et illorum saluti.

O CHORI triumphantes in caelis, intercedite pro nobis pugnantibus in hac lacrimarum valle, ut nos audiat et exaudiat Pater omnipotens, qui cum Filio suo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Ad evangelium.

O DEUS sapientissime et veracissime, gratias tibi ago pro immensa benignitate, qua caelestia nobis revelasti mysteria. Istae enim revelationes intellectum nostrum illuminant, amoris affectum inflammant, voluntatem ad virtutes sectandas excitant et cor mortale ad spem caelestium gaudiorum extollunt. Quapropter et haecce, quae modo leguntur, evangelica verba non solum in meis fac resonare auribus, sed et intima mentis penetrare. Tribue gratiam mihi, ut sequar vocem me vocantem et deambulem in vitae

huius itinere ad finem a te monstratum. Fac me laeto pede premere sanctae lucis tuae vestigia in hac mundi caligine, et quidquid superbia malevola suggerat, constanter aspernari. Tua me manus ducat, ne oberrem; tuum me brachium fulciat, ne cadam; tua me omnipotentia trahat, ne resistam. Da, ut cor meum forti ardeat amore, quo cuncta progrediendi obstacula superem, omnes hostium incursus devincam augendoque tuo honori in omnibus studiosissime serviam. Sic agentem me, Domine, fac per viam veritatis tandem pervenire ad te, qui es ipsa veritas et vita per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Credo.

OMNIPOTENS Numen, caeli terraeque Creator, * alme Parens, in te fidenti pectore credo, * inque tuum pariter, Christi cui nomen Iesus, * unigenam Natum, Dominum, nostraeque salutis * auctorem: quem plena tuo Spiramine sancto * conceptum mater virgo Maria edidit orbi; * impius ast iudex quem Pontius ultima passum * supplicio crucis infami damnavit, ubi ille * oppetiit mortem placitam, tectusque sepulchro * ad sanctas animas vindex descendit in orcum. *

Tertia lux aderat, cum mox a morte reductus * surrexit caelosque ascendit clarus ad altos, * et Patris ad dexteram sedet omnipotentis, et inde * adveniet vivis iudex et lumine cassis. * Credo itidem in sanctam supremi Numinis auram, * sanctum credo Dei tempusque locumque per omnem * diffusum coetum, commercia certa piorum * et veniam scelerum, et reduces in corpora quondam * has animas, nulloque obituram tempore vitam. Amen.

Ad offertorium.

DOMINE Deus! Quod olim per Malachiam prophetam praedixisti, perfectum nunc oculis nostris proponitur: Novum ecce sacrificium ab ortu solis usque ad occasum, oblatio munda, et nomen tuum magnum in omnibus gentibus.

OFFERIMUS tibi per manus sacerdotis panem immaculatam et vinum merum, ut fiant per mysterium omnipotentiae tuae corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi, sacrificium mirabile pro nostra et totius mundi salute.

ILLI autem pretii inaestimabilis oblationi et ipse humanitatis meae munuscula adiungo.

Offero sacrificium impetratorium cuncta mea meorumque desideria et omnem in altari benignitatis et sapientiae tuae spem meam colloco; non mea umquam, sed tua semper in me et per me fiat voluntas. Offero sacrificium propitiatorium cunctos gemitus omnesque lacrimas paenitentiae meae et pono in altari misericordiae tuae universa delicta mea, ut ipsa caritatis tuae igne comburas. Offero sacrificium eucharisticum, quidquid gratia tua largita est mihi et dedico in altari bonitatis tuae bona temporalia, quibus tibi servire, et bona spiritualia, quibus tibi placere desidero. Offero tandem sacrificium latreuticum me totum, et devoveo in altari maiestatis tuae imprimis cor meum, quod accipias, inhabites, impleas atque sanctifices. Converte me totum, sicuti panem et vinum convertes, ut non iam ego vivam, sed tu in me, Domine Deus, qui es laudandus et adorandus in saecula saeculorum. Amen.

Ad praefationem.

PATER caelestis! Sursum elevata mente et sancta illuminatus fide te tuamque in caelis maiestatem et gloriam nunc contemplor. Video sanctos angelorum et beato-

rum choros, qui prostrati ante thronum tuum hymnis perpetuis te laudant, celebrant et adorant. En ego quoque, pulvis quidem terrestris, sed ad angelorum commercia per gratiam tuam vocatus accedo, meamque vocem angelicis miscere canticis audeo: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt caeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis!

BENEDICTUS, qui venit! Tu, caeli terraeque Domine, nunc de throno tuo aeterno descendes et in altari isto sub velamine sacramentali apparebis. Quemadmodum olim nos redempturus humillimam assumpsisti mortalium naturam, ita nunc nosmet sanctificaturus sub vilissimis panis et vini speciebus gloriam tuam caelestem abscondes. Afferes de caelis, quod supplices petimus: peccantibus emendationem, paenitentibus indulgentiam, conversis gratiam, caecis lumen, anxiis spem, lugentibus solacium, operantibus successum, sperantibus pignus aeternae gloriae. Descendes ad nos, ut tecum ascendamus. Indues nostram humanitatem, ut nos participes facias tuae divinitatis. Appropinquas — et caelestia angelorum agmina, sicut pri-

mum tuum in terris adventum laudibus sonoris celebrarunt, ita nunc quoque tuum ad nos accessum cultu devoto celebrant. Et quid ego? Non possum non flectere genua mea et humi prostratus adorare stupendum caritatis tuae miraculum.

Ad elevationem.

AVE verum corpus natum * ex Maria virgine, * vere passum, immolatum * in cruce pro homine; * cuius latus perforatum * unda fluxit et sanguine * esto nobis praegustatum * mortis in examine! O clemens, o pie, o Iesu, fili Mariae, * esto mihi Iesus (i. e. Salvator) et salva me!

AVE sanguis Iesu Christi * in hoc sacro calice, * qui in cruce profluxisti * ex aperto latere * et ab omni abluisti * totum mundum crimine. Ablue, sanctifica et custodi animam meam in vitam aeternam. Amen.

Adoratio ss. eucharistiae.

ADORO te devote, latens Deitas, * quae sub his figuris vere latitas. * Tibi se cor meum totum subicit, * quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur, * sed

auditu solo tuto creditur; * credo, quidquid dixit Dei Filius, * nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas, * at hic latet simul et humanitas; * ambo tamen credens atque confitens * peto, quod petivit latro paenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor, * Deum tamen meum te confiteor; * fac me tibi semper magis credere, * in te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini, * panis vivus, vitam praestans homini, * praesta meae menti de te vivere * et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane Iesu Domine, * me immundum munda tuo sanguine, * cuius una stilla salvum facere * totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio, * oro, fiat illud, quod tam sitio, * ut te revelata cernens facie * visu sim beatus tuae gloriae. Amen. — (S. Thomas Aquin.)

Ante Pater noster.

DOMINE Iesu Christe, qui per omnipotentiam voluntatis tuae panem et vinum convertisti in corpus et sanguinem tuum :

immuta, quaeso, per vim amoris tui cor quoque meum, ut fiam ex ignavo fervens, ex immundo mundus, ex iracundo mitis, ex aspero clemens, ex superbo humilis, ex avido contentus, ex impio iustus; ut qui te nunc in speciebus panis et vini conspicio, tandem corpore hoc exutus in caelis te contemplari merear in gloria tuae maiestatis.

RECORDARE, Pater misericordiae, omnium fidelium defunctorum inprimis N. et N. Per mysterium caritatis tuae, quod ipsi olim in terris adoraverunt, restinque eorum ardores rore clementiae tuae, ablue maculas, perfice virtutes, pone terminum paenis ipsosque perducere digneris per sanctum angelum tuum in paradisum caelestem, ubi sine fine cum turbis electorum te celebrent et adorent. Quod ut benigne concedas, te propriis unigeniti Filii tui verbis invoco: Pater noster etc. (Vel loco eius:)

SIDEREO Genitor residens in vertice caeli! * Nominis, oramus, veneratio sanctificetur * in nobis, Pater alme, tui, tranquillaque mundo * adveniat regnique tui lux ampla patescat. * In terra, ut caelo, fiat tua sacra voluntas, * vitalisque hodie sancti substantia panis * proveniat nobis. Tua nos largitio sol-

vat innumera indulgens erroris debita pravi, * ut nos haud aliter cunctis ignoscimus ultro. * Tetri saeva procul tentatio daemonis absit * deque malis tua nos in lucem dextera tollat. Amen.

Ad communionem.

MIRA caritas, quae in istis panis et vini speciebus latitans nos visitat! Quid vero dicam? Accessit Dei Filius, non ut admiremur eum, sed ut manducemus. Accessit clamans: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos!“ „Accipite et comedite!“ „Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.“ „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.“ Qualis dignitatis elatio, quae ipsa angelorum excedit gaudia: Deo cibari, cum Deo uniri! „O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur, memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur! Utinam et mihi ad mensam istam sacratissimam accedere nunc liceat! Ast audio apostolum clamantem: „Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini!“ Eheu! ego non sum

dignus, cuius sub tectum intres, quia non satis a peccatis mundavi et virtutibus ornavi animam meam. Sed volo compensare, Domine, quod facere omisi, et supplere, quod adhuc mihi deest. Interim autem animo saltem amplecti te desidero, quem ore sumere vereor. Veni ad me cum gratia tua, veni et meam cura infirmitatem, lava foeditatem, illumina caecitatem, dita paupertatem, vesti nuditatem! Veni, Domine, refice et salva servum tuum!

DOMINE Iesu, noverim me, noverim te, * nec aliquid cupiam nisi te! * Oderim me, ut amem te; * humiliem me, exaltem te; * nihil cogitem nisi te; * mortificem me, ut vivam in te; * quaecumque veniant, accipiam a te, * semperque optem sequi te. * Fugiam me, confugiam ad te, * ut merear defendi a te. * Timeam mihi, timeam te, * ut sim inter electos a te. * Diffidam mihi, fidam in te * oboedire velim propter te; * ad nihil alliciar nisi ad te. * Aspice me, ut diligam te, * voca me, ut videam te * et in aeternum fruar te. Amen. (S. Augustinus.)

Post communionem.

DULCISSIME Iesu! Gratias ago tibi, quod dignum me habuisti, qui tremendo

missae sacrificio intersim et te velatum oculis meis aspiciam atque etiam spiritualiter te verum Deum amplectar. Da per gratiam tuam, ut fructus, quem exinde percepi, semper mihi maneat. Fac, ut vota, quae in tua praesentia emisi, revera compleam. Adiuva me, ut abhinc in semita veritatis et iustitiae ambulem, cuncta peccata omnesque peccandi occasiones sedulo fugiam, flammam caritatis erga te et proximos meos magis in me excitem, te summum bonum meum toto corde adspirem. Da, ut perfecte tecum his in terris uniar et in caelis revelata tandem facie videam maiestatem tuam, qui in unitate Patris et Spiritus sancti vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

RESPICE etiam omnes famulos tuos, pro quibus orare me voluisti: converte peccantes, revoca errantes, illumina caecos, consolare maerentes, adiuva periclitantes, largire gratiam vivis, concede veniam moribundis et da lucem et requiem sempiternam fidelibus defunctis, ut omnes ad te securi perveniant atque cum angelicis choris et omnibus sanctis te laudent et adorent, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Ad finem missae.

DOMINE Iesu Christe, abituro mihi per sanctum evangelium tuum valedicis, monens per incarnationis tuae mysterium, ut elever in similitudinem tui, qui in similitudinem mei descendisti. Da, quaeso, ut secundum tuum exemplum sim oboediens meis praepositis, fervidus in peragendis officiis, placidus in conversatione, humilis in honorum desiderio, pauper in rerum appetitione, amans in hostium infestatione, perseverans in sectanda iustitia. Largire, ut tuis, quas pro me fudisti, lacrimis riger, myrrha doloris ungar, vinculis amoris adstringar, sanguine satisfactionis abluar, cruce redemptionis erigar et morte beatificationis vivificer. Concede, ut tecum vivam, tecum moriar et tecum tandem uniar in caelis in sempiterna saecula.

BENEDICAT me omnipotentia Dei Patris, custodiat me clementia Dei Filii et illuminet me sapientia Dei Spiritus sancti. Amen.

Oblatio.

SUSCIPE, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum atque

voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. (S. Ignatius.)

(Indulgent. 300 dierum.)



Hebdomas sanctificata.



Haec dies/ quam fecit Dominus.



Dominica.

Cultus sanctissimae Trinitatis.

Tres precationes salutares ad ss. Dei Trinitatem.

Precatio prima.



TE, o beata Trinitas, labiis et corde omnique qua valeo virtute laudo, benedico atque adoro, tuaeque clementiae et bonitati pro universis beneficiis tuis gratias refero et hymnum gloriae tuae cano: Sanctus, sanctus, sanctus. Te invoco, ut venias in me et templum me facias dignum gloriae tuae.

ROGO Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum

sanctum per Patrem et Filium, ut omnia vitia elongentur a me et omnes sanctae virtutes plantentur in me. Custodi me, opus manuum tuarum, in te sperantem et in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me, quaeso, hic et ubique, nunc et semper, intus et foris, ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum.

TU es Deus omnipotens, custos et protector omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, et non est alius Deus praeter te, neque in caelo sursum, neque in terra deorsum, qui facis magnalia et mirabilia et inscrutabilia, quorum non est numerus.

TE decet laus, te decet honor, te decet hymnus; tibi omnes angeli, tibi caeli et universae potestates hymnos dicunt et laudes indesinenter concinunt, utpote Creatori creaturae, Domino servi, Regi milites. Te sanctam et individuam Trinitatem omnis spiritus laudat.

Precatio secunda.

TRIBUE, Domine, ut, donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, et omnia ossa

mea dicant: Domine, quis similis tui? Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis et unum in substantia Deitatis colimus et adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum de utroque procedentem et in utroque permanentem, sanctam et individuam Trinitatem, unum Deum omnipotentem. Qui, cum non essemus, potenter fecisti nos, et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua mirabiliter reciperasti nos; ne sinas nos esse ingratos, obsecro, tantis beneficiis et indignos tam multis miserationibus.

TE deprecor, supplico et rogo: auge fidem, auge spem, auge caritatem. Fac nos per ipsam gratiam tuam semper in fide stabiles et in opere efficaces, ut per fidem rectam et condigna fidei opera ad vitam te miserante perveniamus aeternam, ut ibi videntes gloriam tuam, sicuti est, adoremus maiestatem tuam et discamus pariter, quos dignos feceris videre gloriam tuam.

GLORIA Patri, qui creavit nos. Gloria Filio, qui redemit nos. Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos. Gloria summae et individuae Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet. Te de-

cet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio et claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

Precatio tertia.

O TRES coaequales et coaeternae personae, Deus unus et verus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui solus habitas aeternitatem et lucem inaccessibilem. Qui fundasti terram in potentia tua et regis orbem terrae prudentia tua: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Terribilis et fortis, iustus et misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, unus Deus, tres personae; una essentia, potentia, sapientia, bonitas, una et indivisa Trinitas.

APERI mihi clamanti portas iustitiae, et ingressus in eas confitebor tibi, Domine. En ad ostium tuum, summe paterfamilias, mendicus pulso. Iube aperiri pulsanti, qui dixisti: Pulsate et aperietur. Pulsant enim ad ostium tuum, Pater misericordissime, desideria rugientium praecordiorum meorum et clamores lacrimarum oculorum meorum. Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Et tu,

Domine, non avertas faciem tuam amplius a me, nec declines in ira a servo tuo.

PATER misericordiarum, audi eiulatum pupilli tui et porrige manum tuam optimam adiutricem, ut retrahat me de profundis aquarum et de lacu miseriae et de luto faecis, ne peream vidente misericordia oculorum tuorum, aspiciente clementia viscerum tuorum, sed evadam ad te Dominum Deum meum, ut videam divitias regni tui et intuear faciem tuam semper et laudem dicam nomini tuo sancto. Domine, qui facis mirabilia, qui cor meum laetum facis memoria tui, qui illuminas iuventutem meam, ne despicias senectutem meam, sed iubilare facias ossa mea et reviviscere facias, ut aquilae, canos meos.



Precationes ad tres personas ss. Trinitatis.

Precatio ad Patrem.

DEUS, Pater Domini nostri Iesu Christi Filii tui, Deus patriarcharum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus credentium: te deprecamur, Pater maiestatis, qui in fine

temporum misertus es nostri, mittens nobis Iesum Christum Filium tuum, Dominum Deum Salvatorem nostrum, natum ex Maria virgine ac Spiritu sancto annuntiante Gabriele angelo, per quem nos liberasti a periculo mortis imminentis.

TE rogo, Domine, subveni mihi, noli me secundum actus meos iudicare; non enim parui praeceptis tuis, sed exomologesin facientis ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator paenitentiae, miserere mei. Et ut David orat: Domine, propter nomen tuum dele peccata mea, ita et ego deprecor maiestatem tuam, dele universa peccata mea.

FAC, ut fide illibata, mente incorrupta, devotione robusta, dilectione et operatione continua in ecclesia tua sancta persistam, et libera me ab igne et poena perenni et ab omni tormento, quod parasti iniquis, per bonum et benedictum Iesum Salvatorem nostrum, per quem tibi laus, honor, virtus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Precatio ad Filium.

DOMINE Iesu Christe, qui fecisti caelum et terram, mare et omnia, quae


in iis sunt, et profundum abyssi intueris; qui super undas maris siccis pedibus ambulasti et Petrum mergentem manu erexisti et Paulum ter de naufragio liberasti, libera nos de magnis fluctibus huius pelagi, ut viventes benedicamus nomen tuum in saecula.

MITTERE etiam, Domine, dignare sanctum angelum tuum de caelis, ut sit dux vitae nostrae, sicut quondam fuit patribus nostris, quando eduxisti eos de terra Aegypti in fortitudine magna et in manu tua valida; et perduc nos recto itinere ad locum optatum, regnum tuum, ubi cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Precatio ad Spiritum sanctum.

ADESTO, sancte Spiritus; et paraclesin, hoc est tuam consolationem seu patrociniumexspectantibusillabere caelitus. Sanctifica templum corporis nostri et consecra in habitaculum tuum. Desiderantes te animas tua praesentia laetifica, dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum et quietis tuae reclinatorium circumda varietatibus virtutum, sterne pavimenta pigmentis.

NITEAT mansio tua carbunculis flammis et gemmarum splendoribus, et omnium charismatum intrinsecus spirent odoramenta. Affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, et abigens inde, quidquid tepidum est, quidquid corruptelae seminarium, stabile ac perpetuum hoc facias gaudium nostrum et creationis tuae renovationem in decore immarcessibili solides in aeternum. Amen.



Symbolum s. Athanasii.



QUICUMQUE vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, aeterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur; ita tres Deos

aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, nec factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto etc.



Litaniae ss. Trinitatis.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater, ex quo omnia, miserere nobis.
Fili, per quem omnia,
Spiritus sancte, in quo omnia,
Sancta et individua Trinitas unus Deus,
Incomprehensibilis maiestas,
Immutabilis potentia,
Infinita sapientia,
Inexhausta bonitas,
Imperialis dignitas,
Legalis divinitas,
Aeterna veritas,
Rex omnipotens Deus,
Qui solus es et unus Deus,
In quo vivimus, movemur et sumus,
Cuius maiestate repleta est omnis terra,
Cui soli debetur honor et gloria,
Qui consolaris nos in tribulatione nostra,
Qui facis mirabilia magna solus,
Qui es, qui eras, et qui venturus es,
In iudicio iustus et terribilis,
In regno gloriosus et admirabilis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus sancte ab utroque procedens,
O beata Trinitas unus Deus.
Propitius esto, parce nobis, Domine,
Propitius esto, exaudi nos, Domine,
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato,

Ab omni infidelitate,
A mandatorum tuorum transgressione,
A donorum tuorum contemptu,
A rerum sacrarum neglectu,
A morte perpetua,

Per omnipotentiam tuam,
Per sapientiam tuam,
Per infinitam bonitatem tuam,
Per magnam misericordiam tuam,
Per patientiam et longanimitatem tuam.

Peccatores, te rogamus, audi nos,
Ut te Deum verum semper et ubique confiteri nobis dones,
Ut te Deum unum in Trinitate venerari, et Trinitatem in unitate adorare concedas,
Ut te toto corde diligere nobis largiri digneris,
Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare et salvare digneris,
Ut errantibus lumen, ut in viam possint redire iustitiae, concedere digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris.
O beata Trinitas, libera nos.
O beata Trinitas, salva nos.
O beata Trinitas, vivifica nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. secreto.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula. ℣. Benedictus es, Domine, in firmamento caeli. ℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. ℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. ℟. Et metuant eum omnes fines terrae.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Benedicat nos divina maiestas et una Deitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus.



Rosarium angelicum sive ss. Trinitatis.

Incipit hoc rosarium, quo ss. Trinitas vel ss. sacramentum adorari solet, recitatione symboli apostolorum, orationis Domi-

nicae et salutationis angelicae; deinde triginta vicibus repetitur doxologia angelorum:

SANCTUS, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria eius. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Ita ut post quamlibet decadem inseratur Pater noster et Ave Maria. In fine tertiae decadis dici potest:

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu ℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

DEUS, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris, et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae, ut in exsequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum.



Vesperae de ss. Trinitate.

Pater noster. Ave Maria.

DEUS, ✠ in adiutorium meum intende. ℟. Domine, ad adiuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, * Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia. Vel Laus tibi, Domine, Rex aeternae gloriae.

Ant. Gloria tibi, Trinitas aequalis, una Deitas et ante omnia saecula et nunc et in perpetuum.

Psalmus CIX.

DIXIT Dominus Domino meo: * Sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Iuravit Dominus, et non paenitebit eum: * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis * confregit in die irae suae reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet; * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper * et in saecula saeculorum Amen.

Ant. Gloria tibi, Trinitas aequalis, una Deitas et ante omnia saecula et nunc et in perpetuum.

Ant. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

Psalmus CX.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo * in consilio iustorum et congregatione.

Magna opera Domini * exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio et magnificentia opus eius * et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum mi-

sericors et miserator Dominus; * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui, * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:

Ut det illis haereditatem gentium: * opera manuum eius veritas et iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi, * facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit populo suo, * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen eius, * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum; * laudatio eius manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Ant. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

-Ant. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Psalmus CXI.

BEATUS vir, qui timet Dominum, * in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius; * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo eius, * et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: * misericors et miserator et iustus.

Iucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio, * quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit iustus, * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius: * non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi, * cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: * desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri etc.

Ant. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Ant. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi, sancte, studio perenni Spiritus, nostro resones ab ore omne per aevum.

Psalmus CXII.

LAUDATE, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum * ex hoc, nunc et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus * et super caelos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat * et humilia respicit in caelo et in terra?

Suscitans a terra inopem * et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri etc.

Ant. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi, sancte, studio perenni Spiritus, nostro resonet ab ore omne per aevum.

Ant. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula.

Psalmus CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius * et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri etc.

Ant. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula.

Capitulum.

O ALTITUDO divitiarum, sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!

Hymnus S. Ambrosii.

IAM sol recedit igneus * Tu lux perennis Unitas * Nostris, beata Trinitas,* Infunde amorem cordibus.

Te mane laudum carmine * Te deprecamur vespere,* Digneris, ut te supplices * Laudemus inter caelites.

Patri simulque Filio * Tibique sancte Spiritus * Sicut fuit sit jugiter * Saeclum per omne gloria. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium, cum sancto spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Ad Magnificat. Ant. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Canticum B. Mariae virginis.

MAGNIFICAT * anima mea Dominum.
Et exsultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae; * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, * et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham et semini eius in saecula.

Gloria Patri etc.

Ant. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

Deinde dicitur una ex antiphonis ut habentur pag. 31—34.





Feria secunda.

Cultus s. Spiritus et commemoratio omnium defunctorum.

Precatio ad impetranda septem dona Spiritus sancti.



VENI, sancte Spiritus, et me fac participem divitiarum, donorum et misericordiarum tuarum.

Inebria me dono sapientiae.
Illumina me dono intellectus.
Guberna me dono consilii.
Confirma me dono fortitudinis.
Doce me dono scientiae.
Urge et verbera me dono pietatis, et
Vulnera cor meum dono timoris tui.

Inflamma et consume omnia viscera mea suavissimo et pretiosissimo igne amoris tui, ut illa omnia ita incensa rapiantur et ducantur ad te, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hymnus Roberti regis Galliae.

VENI, sancte Spiritus * Et emitte caelitus * Lucis tuae radium!

Veni, Pater pauperum * Veni dator munerum * Veni lumen cordium!

Consolator optime * Dulcis hospes animae * Dulce refrigerium.

In labore requies * In aestu temperies * In fletu solacium.

O lux beatissima * Reple cordis intima * Tuorum fidelium!

Sine tuo numine * Nihil est in homine * Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum * Riga, quod est aridum * Sana, quod est saucium.

Flecte, quod est ridigum * Fove, quod est frigidum * Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus * In te confidentibus * Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum * Da salutis exitum * Da perenne gaudium. Amen.

Hymnus Caroli Magni.

VENI, Creator Spiritus * Mentes tuorum visita * Imple superna gratia * Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus * Altissimi do-

num Dei * Fons vivus, ignis, caritas * Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere * Digitus paternae dexterae * Tu rite promissum Patris * Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus * Infunde amorem cordibus * Infirma nostri corporis * Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius * Pacemque dones protinus * Ductore sic te praevio * Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem * Noscamus atque Filium * Teque utriusque Spiritum * Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria * Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito * in saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum etc.



Litaniae Spiritus sancti.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Spiritus, a Patre Filioque procedens,
Spiritus Paraclite,
Spiritus veritatis,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii et fortitudinis,
Spiritus scientiae et pietatis,
Spiritus timoris Domini.
Spiritus gratiae et sanctitatis,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus orationis et consolationis,
Spiritus gaudii et salutis,
Spiritus fidei et caritatis,
Spiritus pacis et unitatis,
Spiritus compunctionis,
Spiritus sapientiae et lenitatis,
Spiritus humilitatis et mansuetudinis.
Spiritus continentiae et castitatis,
Spiritus mortificationis et paenitentiae,
Spiritus omnium gratiarum,
Propitius esto, parce nobis, sancte Spiritus.

Propitius esto, exaudi nos, sancte Spiritus.
Ab omni malo, libera nos, sancte Spiritus.
Ab omni peccato,
Ab omni haeresi et schismate,
Ab incredulitate et obstinatione,
A fornicatione et immunditia,
A pusillanimitate et desperatione,
A temeraria praesumtione,
A blasphemia et malitia,
Ab invidia et discordia,
A finali impaenitentia,
Per aeternam a Patre et Filio processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per admirabilem beatae Virginis obumbrationem tuam,
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super apostolos adventum tuum,
Per ineffabilem caritatem tuam.
Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut te numquam gravi peccato contristemus, te rogamus, audi nos,

Ut desideria carnis mortificantes in spiritu ambulemus,

Ut nos et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,

Ut cuncto populo christiano cor unum et animam unam donare digneris,

Ut virtutum omnium complementum nobis donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Spiritus Dei.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, effunde in nos Spiritum sanctum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte in nos Spiritum veritatis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis Spiritum bonum.

Pater noster etc. secreto.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia.

℟. Et coeperunt loqui, alleluia.

Oremus.

DEUS, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



Orationes duae s. Thomae de Aquino.

Pro obtinendis virtutibus.


DEUS omnipotens, omnia sciens, principio et fine carens, qui es virtutum donator et conservator et remunerator, digneris me stabilire solido fidei fundamento et tueri inexpugnabili spei clypeo atque decorare nuptiali caritatis vestimento. Da mihi per iustitiam tibi subesse; per prudentiam insidias diaboli cavere; per temperantiam medium tenere; per fortitudinem adversa patienter tolerare. Da bonum, quod habeo, non habentibus libenter impartiri; bonum, quod non habeo, ab habentibus humiliter quaerere; malum culpae, quod feci, veraciter accusare; malum poenaeq, uod sustineo, aequanimiter ferre; bono proximi non invidere; de bonis tuis semper gratias agere; habitu, incessu et motu disciplinam semper servare; linguam a vaniloquio restringere; pedes a discursu cohibere; oculos a vago visu comprimere; aures a rumoribus separare; vultum humiliter inclinare: mentem in caelestia levare; transitoria contemnere; te tantummodo desiderare; carnem domare;

conscientiam expurgare; sanctos honorare; te digne laudare; in bono proficere et bonos actus fine sancto terminare. Planta in me, Domine, virtutes, ut circa divina sim devotus, circa humana officia providus, circa usum proprii corporis nulli onerosus. Da mihi, Domine, ferventem contritionem, puram confessionem, perfectam satisfactionem. Ordinare me digneris interius per bonam vitam, ut faciam, quod deceat, et quod mihi proficiat ad meritum et reliquis proximis ad exemplum. Da mihi, ut numquam ea, quae fiunt insipienter, appetam, et quae fiunt acediose, fastidiam, ne contingat inchoanda ante tempus appetere aut inchoata ante consummationem deserere. Amen.

Desiderium caeli.

TE Deum totius consolationis invoco, qui nihil in nobis praeter tua dona cernis, ut mihi post huius vitae terminum donare digneris cognitionem primae veritatis, fruitionem divinae maiestatis. Da etiam corpori meo, largissime remunerator, claritatis pulchritudinem, agilitatis promptitudinem, subtilitatis aptitudinem, impassibilitatis fortitudinem. Apponas istis affluentiam divitiarum, influentiam deliciarum, confluentiam bono-

rum: ut gaudere possim supra me de tua consolatione, infra de loci amoenitate, intra de corporis et animae glorificatione, iuxta de angelorum et hominum delectabili associatione. Consequatur apud te, clementissime Pater, mea rationalis potentia sapientiae illustrationem, concupiscibilis desiderabilium adeptionem, irascibilis triumphi laudem, ubi est apud te evasio periculorum, distinctio mansionum, concordia voluntatum; ubi est amoenitas vernalis, luciditas aestivalis, ubertas autumnalis, et requies hiemalis. Da, Domine Deus, vitam sine morte, gaudium sine dolore, ubi est summa libertas, libera securitas, secura tranquillitas, iucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, veritatis visio atque laudatio, Deus. Amen.



Commemoratio fidelium defunctorum.

LIBERA me, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda.

Quando caeli movendi sunt et terra, dum veneris iudicare saeculum per ignem.

Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira, quando caeli movendi sunt et terra, dum veneris iudicare saeculum per ignem.

Dies illa dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde, quando caeli movendi sunt et terra, dum veneris iudicare saeculum per ignem.

Requiem aeternam ✠ dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Libera me, Domine, de morte aeterna in die illa tremenda, quando caeli movendi sunt et terra; dum veneris iudicare saeculum per ignem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FIDELIUM Deus omnium Conditor et Redemptor; animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.



Litaniae pro fidelibus defunctis.

KYRIE eleison: Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria, ora pro fidelibus defunctis.
Sancta Dei Genetrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Omnes sancti angeli et archangeli, orate.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Ioannes,
Omnes ss. apostoli et evangelistae, orate.
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Omnes sancti martyres, orate.
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Omnes ss. pontifices et confessores, orate.
Sancta Maria Magdalena,
Omnes sanctae virgines et viduae, orate.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro fidelibus defunctis.
Propitius esto, exaudi eos Domine,
Propitius esto, parce eis Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine,
Ab ira tua,

A potestate diaboli,
A flamma ignis,
A regione umbrae mortis,
Per immaculatam conceptionem tuam,
Per dulcissimum nomen tuum,
Per multitudinem miserationum tuarum,
Per acerbissimam passionem tuam,
Per sanctissima vulnera tua,
Per pretiosissimum sanguinem tuum,
Per ignominiosissimam mortem tuam, qua nostram moriendo destruxisti,
Peccatores, te rogamus, audi nos.

Qui Mariam absolvisti et latronem exaudisti, te rogamus, audi nos.

Qui salvandos salvas gratis,

Ut parentes et propinquos et benefactores nostros a poenis inferni eripere digneris,

Ut omnes fideles defunctos ab aeterna damnatione liberare digneris,

Ut desiderium ipsorum adimplere digneris,

Ut angelorum coetus eis splendidus subveniat,

Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, miserere digneris,

Ut eis omnibus parcere et indulgere digneris,

Ut eos gloriosus apostolorum chorus excipiat,

Ut candidatorum martyrum triumphans exercitus eos laetus circumdet.

Ut eos sanctorum confessorum agmen deducat,

Ut iubilantium virginum eos corona comitetur,

Ut ad auctorem suum, qui eos de limo terrae formavit, redire valeant,

Ut, mitis atque dulcis Iesu, tuus eis aspectus benignus appareat,

Ut ad dexteram tuam in electorum consortium eos accipias,

Fili Dei, fons pietatis, rex tremendae maiestatis,

Qui claves habes mortis et inferni.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

℣. Domine exaudi etc.

Orat. Fidelium Deus etc., ut supra.

DEUS, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis et omnibus hic et ubique in Christo quies-

centibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur.

Oratio

pro animarum salute dicenda.

MISERERE, Domine mi, animabus, quae singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tormentis neque spes ulla, nisi quod ad imaginem et similitudinem tuam creatae sunt, quae antiquitate vel paupertate aut neglegentia in oblivionem parentum et servorum tuorum traditae sunt, quarum primus, septimus, tricesimus aut anniversarius dies numquam celebratur. Parce eis, Domine, et defende plasma tuum; libera eas a cruciatu et tormentis; porrige eis dexteram tuam et perduc eas in locum refrigerii lucis et pacis, per eum qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.





Feria tertia.

Cultus ss. nominis Iesu et ss. angelorum.

Oratio s. Gregorii papae.

ONE Iesu, Verbum Patris, splendor paternae gloriae, in quem desiderant angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut a Spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies aeternus et unus omnium spiritus, ubi est certa securitas et secura aeternitas et aeterna tranquillitas et tranquilla felicitas et felix suavitas et suavis iucunditas, ubi tu Deus cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Litaniae
de sanctissimo nomine Iesu.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Iesu audi nos.
Iesu exaudi nos.
Pater de caelis Deus,
miserere nobis,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Iesu fili Dei vivi,
Iesu fili David,
Iesu fili Mariae virginis,
Iesu sanctissime,
Iesu potentissime,
Iesu perfectissime,
Iesu fortissime,
Iesu gloriosissime,
Iesu piissime,
Iesu carissime,
Iesu dulcissime,
Iesu admirabilis,
Iesu delectabilis,
Iesu honorabilis,
Iesu Salvator mundi,
Iesu mediator Dei et hominum,
Iesu bone pastor ovium,
Iesu refugium nostrum,
Iesu benignissime,
Iesu dilectissime,
Iesu clementissime,
Iesu desideratissime,
Iesu mitissime,
Iesu amantissime,
Iesu amator fidelissime,
Iesu amor noster,
Iesu lux vera,
Iesu sapientia aeterna,
Iesu bonitas infinita,

Iesu speculum perfectionis,
Iesu exemplar virtutum,
Iesu pater pauperum,
Iesu consolator afflictorum,
Iesu gaudium angelorum,
Iesu rex patriarcharum,
Iesu inspirator prophetarum,
Iesu magister apostolorum,
Iesu doctor evangelistarum,
Iesu fortitudo martyrum,
Iesu lumen confessorum,
Iesu sponse virginum,
Iesu corona sanctorum omnium.

Propitius esto, parce nobis, Iesu,
Propitius esto, exaudi nos, Iesu,
Ab omni malo, libera nos, Iesu,
Ab omni periculo,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,

Per gaudia tua, libera nos, Iesu,
Per gloriam tuam, libera nos, Iesu.
Per dulcissimam virginem Matrem tuam,
Per intercessionem omnium sanctorum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Iesu,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Iesu,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Iesu,
Iesu Christe, audi nos,
Iesu Christe, exaudi nos,

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, qui gloriosissimum nomen Iesu Christi, Filii tui Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile,

concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Iesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant et in futuro gaudium exsultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in caelis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc.

Oremus.

DEUS, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem et Iesum vocari iussisti, concede propitius, ut cuius nomen sanctum veneramur in terris, eius quoque aspectu perfruamur in caelis. Per eundum Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum etc.

Oremus.

DOMINE Iesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate et aperietur vobis, quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus et a tua numquam laude cessemus.

SANCTI nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis.

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Septem divini amoris iacula.

QUANDO te, mi Iesu, brachiis animae meae constringam; ne, oro, peccatis excludar: vere eorum me nunc amore tui poenitet.

Utinam te solum, mi Iesu, possideam, et in aliis omnibus sim pauper! prae te vilescunt mihi omnia mundi bona, tu solus places.

Felix, qui omnia rerum terrenarum cura solutus, tibi soli, mi Iesu, vocat! et videt, quam suavis sit in omnibus spiritus tuus.

Amo te, suavissime Iesu, super caelum et terram et omnia, quae iis continentur. In te solo cor meum conquiescit.

O charissime sponse, en ego sto ad ostium tuum et pulso, admitte me, omnibus huius mundi voluptatibus lubens renuntio.

O Iesu, permitte me quiescere super sacratissimum pectus tuum, ut inde cor meum accendatur semperque ardeat.

O vita mea, per quam vivo sine qua morior: concede, ut tibi coniungar et in amplexu tuo moriar!

Quinque amantis animae suspiria.

IESU mi Deus et omnia! cur unquam offendi te qui usque in finem dilexisti me? An non et ego amem te? Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.

EMITTE mi Iesu, lucem tuam et veritatem; ipsa me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Ibi secure exultabo in te Deo Iesu meo.

SALVE o imago aeterni Patris! o speciose forma prae filis hominum, in quem desiderant angeli prospicere. O cordis mei desiderium, ostende mihi faciem tuam et salvus ero.

UTINAM, o bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victima consecrer faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam: Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

SUAVISSIME Iesu, aufer spiritum meum et tuum in me transfunde; tuo enim spiritu animatus exclamabo: vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.



Ad sanctum angelum custodem.

ANGELE Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege et guberna. Ego te patronum veneror, custodem amo ac tibi trado me gubernandum. Ne ergo me, quamvis ingratum, deseras, sed benignus errantem dirigas, ignorantem erudias, iacentem erigas, afflictum soleris, periclitantem liberes, denique ad aeternam felicitatem perducas. Amen.

Quinque protestationes s. Caroli Borromaei ad s. angelum custodem.

IN nomine sanctissimae Trinitatis, Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus sancti ✠ ego N. N., miser peccator, protestor in praesentia tua, o angele mi custos, velle et desiderare me mori in vera fide, quam sancta romana et apostolica profitetur ecclesia, nec desidero diutius vivere, quam placeat Deo, cuius voluntati me totum subicio.

PROTESTOR etiam, mi fidelissime custos, desiderare me sub tua protectione discedere ex hac vita cum spe divinae misericordiae sine ulla titubatione in fide firmissime credens, unicam guttam pretiosissimi sanguinis

Domini nostri Iesu Christi sufficientissimam esse ad salvandum totum genus humanum.

SIMILITER protestor, mi amantissime custos, petere me ex intimo corde participem fieri misericordiae Dei, quam nulli quantumvis gravissimo peccatori negat, idque per merita passionis et mortis Domini nostri Iesu Christi et per virtutem pretiosissimi sanguinis illius ac per merita beatissimae virginis Mariae, angelorum et sanctorum omnium.

PROTESTOR insuper, o mi sanctissime custos, supplicare divinae pietati, ut dignetur me recipere in numerum electorum suorum, etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio usque ad extremum iudicii diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam aeternam.

PROTESTOR denique, o mi optime custos, te procuratorem a me constitui testamenti et ultimae voluntatis meae ad impetrandum mihi tres gratias a clementissimo Domino nostro Iesu Christo. Prima est, ut mihi donet unicum lacrimosum suspirium ex illis, quae habuit, dum in cruce tribus

horis vivus pependit, cuius virtute mitigentur lacrimabiles singultus illi, quibus in hora mortis affligar, et ut gloriosissima mater Dei Maria dignetur me unico aspectu ex iis, quos ipsa sub cruce stans habuit defigendo virgineos oculos in dilectum Filium suum, suscipiendo me in eorum numerum, qui eius precibus et meritis in die iudicii obtinebunt salutem et vitam sempiternam. Altera gratia est, ut tu mihi, o fidelissime custos, in illa potissimum hora succurras, quando anima mea separabitur a corpore meo, ut inveniam benignum iudicem merito flagrantissimae illius caritatis, quae paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Tertia demum gratia est, ut tu idem, o mi piissime custos, animam meam tibi habeas commendatam eamque de ergastulo corporis egressam Redemptori meo offeras, ut eum una tecum et cum sanctis omnibus in caelo videam, perfecte amem et in aeternum fruar, cui sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.



Litaniae de s. angelo custode.

YRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
S. Maria, Regina angelorum, ora pro nobis.
S. angele custos meus,
S. angele princeps meus,
S. angele admonitor meus,
S. angele consultor meus,
S. angele tutor meus,
S. angele procurator meus,
S. angele amator meus,
S. angele consolator meus,
S. angele frater meus,
S. angele praeceptor meus,
S. angele pastor meus,
S. angele testis meus,
S. angele adiutor meus,
S. angele vigil meus,
S. angele negotiator meus,
S. angele intercessor meus,
S. angele susceptor meus,
S. angele gubernator meus,
S. angele praeses meus,
S. angele defensor meus,

S. angele ductor meus,
S. angele conservator meus,
S. angele praedicator meus,
S. angele illuminator meus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater noster etc.

℣. Angelis suis mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ineffabilis bonitatis tuae consilio cunctis fidelibus ab utero matris custodem corporis et animae specialem angelum deputasti, concede, ut, quem mihi misericorditer tribuisti, sic observem et diligam, ut gratiae tuae munere illiusque custodiae munimine pro-

tectus in caelesti patria vultum gloriae tuae cum illo et ceteris angelis merear contemplari. Per Dominum.

Oratio ad ss. angelos.

 DEUS meus et Dominus angelorum, Deus cordis mei! Tibi sit pro beneficiis per sanctos angelos tuos mihi collatis laus, honor, virtus et gratiarum actio in sempiterna saecula. Amen.

℟. In conspectu angelorum psallam tibi, Deus meus.

℣. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

Oremus.

O SPIRITUS caelestes, angeli, archangeli, principatus, potestates, virtutes, dominationes, throni, cherubim ac seraphim, spiritus administratorii, facientes verbum maiestatis divinae et super uno peccatore paenitentiam agente magno gaudio exsultantes: respicite me miserum peccatorem et in clientem vestrum suscipite, vosque imprimis, seraphim, replete animam meam igne divini amoris, vos, cherubim, dono sapientiae et intellectus, vos, throni, contemptu terrenorum om-

nium, vos, dominationes, perfecto obsequendi studio, vos, virtutes, spiritu contritionis ac humilitatis, vos, potestates, dono coercendi cupiditates, vos, principatus, zelo salutis animarum, vos, archangeli, promptitudine caelestes impulsus exsequendi, vos, angeli, dono puritatis angelicae, vos, denique novem chori angelorum, adeste mihi in omnibus tam adversis quam prosperis. Custodite, defendite me ab omni hostium tam visibilium quam invisibilium incursu ac in hora mortis animam meam ad conspectum divinae maiestatis perducite, ut eiusdem visione beatifica vobiscum fruar in aeternum. Amen.





Feria quarta.

Cultus s. Iosephi.

Devotionis exercitium erga s. Ioseph per sex orationes.

Oratio dedicatoria ad s. Ioseph.



O SANCTE Ioseph, Redemptoris mei Christi Iesu fidelis oeconome ac nutritie, castissime virginis Deiparae sponse!

Ego N.N. te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo firmiterque propono, me numquam te derelicturum nec permissurum, ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen.

Oratio pro cordis munditia impetranda.

SANCTE Ioseph, gloriosissime virginum pater et tutor, custos fidelis, cui Deus ipsam innocentiam Iesum Christum et virginem Mariam commisit, te per hoc utrumque carissimum pignus oro et obsecro, ut impetres et facias me ab omni immunditia praeservatum puro et casto corde Iesu et Mariae famulari et in ipsorum servitute in perfecta castitate perseverare. Fiat.

Oratio ad S. Ioseph ad impetrandam intercessionem pie communicandi.

O BEATISSIME Ioseph, quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod unigenitum eius Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis ac paterno affectu amplexus fueris! Utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus et patrocinio adiutus, Dominum ac Redemptorem meum Iesum Christum simili amoris ac reverentiae affectu amplectar in sanctissimo altaris sacramento, quo merear eundem posthac aeternum complecti in caelis. Amen.

Oratio ad s. Ioseph pro virtute vincendi taedium in rebus spiritualibus impetranda.

SANCTE Ioseph, qui cum Iesu et Maria citra ullum taedium conversationis convixisti (non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium), aufer a me omnem animi amaritudinem et vecordem illam socordiam tepidorum, et fac, ut cotidie ascensiones in corde meo disponam et exsequar.

Oratio ad s. Ioseph pro felici morte impetranda.

O SANCTE Ioseph, qui in suavissimo Iesu clientis tui et dulcissimae sponsae tuae Mariae complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi, o s. pater, cum Iesu et Maria tunc potissimum, quando mors vitae meae finem imponet; illudque (quod unice peto) solacium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Iesu et Mariae brachiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Iesu, Maria, Ioseph. Amen.

Oratio ad s. Ioseph ad quaelibet eius intercessione impetranda.

O SANCTE Ioseph, cui Iesus hic in terris se subiecit prompteque oboedivit quem-

que singulari semper honore et amore prosecutus est, quomodo idem in caelis, ubi tua nunc remuneratur merita, quidquam tibi denegabit? Ora pro me, o s. Ioseph, gratiamque impetra, imprimis ut peccata omnia serio detester et fugiam, praesertim N.N., vitam in melius emendem constanterque me virtutum studio impendam, praesertim N.N., a tentationibus et peccandi occasionibus, praesertim N.N., quibus anima mea in periculum damnationis induci posset, et ab afflictione ac miseria N.N., nisi divinae id voluntati meaeque saluti adversetur, liberer. In his tamen et aliis omnibus totum me divino arbitrio et dispositioni tuaeque paternae fidei, o sancte Ioseph, subicio ac committo. Amen.



Litaniae de s. Ioseph.

YRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus.
Sancta Maria, sponsa Ioseph, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, sponse Mariae virginis,
Tutor et nutritie Iesu,
Vir secundum cor Dei,
Fidelis servus et prudens,
Custos virginitatis Mariae,
Comes et solacium Mariae,
In virginitate mundissime,
In humilitate profundissime,
In caritate ardentissime,
In contemplatione altissime,
Qui vir iustus ipsius Spiritus sancti testimonio comprobatus es,
Qui in divinis mysteriis prae omnibus illuminatus fuisti,
Qui de sacro incarnati Verbi mysterio caelitus edoctus es,
Qui cum Maria desponsata tibi coniuge praegnante in Bethlehem profectus es,

Qui non inveniens locum in diversorio, ad stabulum divertisti,
Qui Christo posito in praesepio adesse meruisti,
Qui Iesu sanguinem in circumcisione excepisti,
Qui puerum Iesum in templo cum Maria matre Domino praesentasti,
Qui angeli monitu accepto cum puero et matre eius in Aegyptum fugisti,
Qui defuncto Herode cum puero et matre eius in terram Israel rediisti,
Qui amissum in Ierusalem filium triduo cum Maria matre eius dolens quaesivisti,
Qui post triduum sedentem illum inter doctores gaudens invenisti,
Qui Dominum dominantium tibi in terris subditum habuisti,
Cuius laus est in evangelio: Vir Mariae, de qua natus est Iesus,
Advocate noster, audi nos s. Ioseph.
Patrone noster, exaudi nos s. Ioseph.
In omnibus necessitatibus nostris, adiuva nos, s. Ioseph.
In omnibus angustiis nostris,
In hora mortis nostrae,
Per castissimam desponsationem tuam,
Per paternam curam et fidem tuam,
Per labores et sudores tuos,

Per omnes virtutes tuas,
Per summum honorem et sempiternam beatitudinem tuam,
Per fidelem intercessionem tuam.
Clientes tui, te rogamus, audi nos.
Ut a Iesu peccatorum nostrorum veniam nobis impetrare digneris,
Ut Iesu et Mariae fideliter nos commendare digneris,
Ut omnibus in virginali et coniugali statu viventibus convenientem castitatem impetrare digneris,
Ut omnibus congregationibus perfectum amorem et concordiam impetrare digneris,
Ut praesidibus et praelatis omnibus in subditorum suorum gubernatione adesse digneris,
Ut patribus familias in christiana liberorum educatione opitulari digneris,
Ut omnes de tuo patrocinio confidentes protegere digneris,
Ut congregationibus tuo nomine et patrocinio institutis paterno semper auxilio subvenire digneris,
Ut cum Iesu et Maria in extremo vitae articulo nos invisere et praesto esse digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis intercessionis tuae suffragio succurrere digneris,
O caste Mariae sponse,

O fidelis Iesu nutritie,
Sancte Ioseph,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Iesu.
Iesu Christe audi nos. Iesu Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. secreto.
℣. Ora pro nobis, beatissime Ioseph.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEUS, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genetricis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Qui vivis et regnas etc.

Memorare ad S. Ioseph.

EMORARE, purissime sponse beatissimae virginis Mariae et mi amabilissime custos, sancte Ioseph, non esse auditum a saeculo quemquam tua implorantem praesidia, tua petentem auxilia, non esse

consolatum. Ego tali animatus confidentia ad te venio et intimo corde me tibi commendo. Ah! ne despicias, pater putative nostri Salvatoris, deprecationes meas, sed benignus eas recipias. Fiat.

Oratio ad S. Joseph.

OMNIPOTENS et mitissime Deus, qui beatum Ioseph, iustum filium David, beatae Mariae virgini, tuae matri, sponsum providisti et tuum nutritium elegisti, da, quaesumus, ut eius precibus et meritis ecclesia tua tranquilla pace laetetur et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducatur. Qui vivis, etc.

Oremus.

VIRGINUM custos et pater sancte Ioseph, cuius fideli custodiae ipsa innocentia, Christus Iesus et virgo virginum Maria, in terris commissa fuit, te per utrumque carissimum pignus tuum, Iesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Iesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.





Feria quinta.

Cultus ss. Eucharistiae.

Adoratio ss. sacramenti.



SALVE, nobilissimum corpus et pretiosissime sanguis Domini mei Iesu Christi, sub hac panis specie vere praesens, te adoro tali cultu et devotione, qua novem angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, quod tu Dominus meus et Deus meus vere hic continea件.

SALVE, nobilissimum corpus Salvatoris mei Iesu Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua humanitas tua adoravit divinitatem, et cum affectu totius universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere dignaris.

SALVE, pie Iesu, Verbum Patris, splendor gloriae, fons pietatis, salus mundi, sacra hostia. Salve, Iesu Christe, splendor Patris, princeps pacis, janua caeli, panis vivus, Virginis partus, vas deitatis.

CREDO firmissime, quod tu, Deus meus, hic praesens sis meque ex hoc sacramento intuearis atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum caro et sanguis tuus, verum etiam deitas et humanitas tua contineantur. Quod licet intellegere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

CORAM te, o ss. sacramentum, cum summa reverentia procido et cum omnibus angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cum cherubim et seraphim cumque omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae tuae concino dicens: Centies milies laudetur sanctissimum altaris sacramentum.

O INTIMA medulla paterni cordis! gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis, pro eo quod hoc inaestimabile sacramentum instituisti, per

quod caeli et terra reconciliantur et immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

GLORIFICO et magnifico sapientiam et benignam omnipotentiam tuam; laudo et adoro omnipotentiam et benignam sapientiam tuam; benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Iesu, quod praevaluisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum sacramentum instituere.

O UNICA et vera fiducia animae meae, Christe Iesu, te laudo, te amo, te colo, te adoro atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimiis debitis meis offeras, sicut teipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O CHRISTE Iesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae tuae misericordiae respice me indignissimum humiliter coram te prostratum atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O FLOS nobilissime de radice Iesse, per ineffabilem amorem praedulcissimi cordis tui miserere mei et recipe me in gratiam tuam propter gloriam nominis tui.

O PATER amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum in perpetuum laudis tuae holocaustum et in propitiationis peccatorum nostrorum iuge sacrificium. Respice, quaeso, in faciem Christi tui et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pependit in cruce et miserere nostri. Amen.

Laus sanctissimi sacramenti.

LAUDETUR sanctissimum sacramentum tot laudibus, quot in caelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttae, in terra pulveres; quot in vere flores, aestate grana, autumno folia, hieme nives et grandines; quot corporeae in universo sunt creaturae, quia dignus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus.

LAUDETUR sanctissimum sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari umquam potuere vel possunt; quia dignus es tu, Domine Pater noster, qui nos cibas et potas cotidie, cuius redempti sumus pretioso sanguine quasi agni immaculati.

LAUDETUR sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes angeli ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere sua sapientia concipere, sua bonitate optare, potest; quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus et Deus meus, vere laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Oratio s. Alphonsi pro visitatione cotidiana ss. sacramenti.

DOMINE mi Iesu Christe, qui pro tuo in homines amore nocte dieque in hoc sacramento permanes pietate et amore totus plenus, exspectans, vocans et excipiens omnes, qui te visitatum veniunt, credo te esse praesentem in sacramento altaris; ex abysso nihili mei te adoro gratiasque tibi pro omnibus a te mihi collatis beneficiis ago, praecipue quod mihi dederis temetipsum in hoc sacramento tuamque sanctissimam matrem Mariam in advocatam, et quod vocaveris me ad visitandum te in hac ecclesia. Sanctissimum cor tuum hodie saluto illudque salutare intendo triplicem in finem: Primo in gratiarum actionem pro magno hoc dono;

secundo in compensationem omnium iniuriarum, quas ab inimicis tuis accepisti in hoc sacramento, tertio hac visitatione intendo adorare te in omnibus terrae locis, in quibus in hoc sacramento minus es honoratus magisque derelictus. Mi Iesu, toto corde te amo. Doleo me quondam totiens contristasse bonitatem tuam infinitam. Propono pro futuro non amplius te offendere mediante tua gratia; et pro praesenti, quantumvis sim miserabilis, tibi consecro me totum. Dono et trado tibi totam meam voluntatem, affectus, desideria, omnia mea. Ex hoc nunc fac de me et de rebus meis, quidquid tibi placet. Unum a te peto, unum desidero, sanctum tuum amorem, perseverantiam finalem et perfectam tuae voluntatis adimpletionem. Commendo tibi animas purgatorii, illas praesertim, quae erga sanctissimum sacramentum et beatissimam virginem Mariam magis devotae fuerunt. Commendo etiam tibi omnes miseros peccatores. Unio tandem, mi care Salvator, omnes affectus meos cum affectibus amorosissimi cordis tui, et ita unitos offero illos aeterno tuo Patri eumque in nomine tuo oro, ut propter amorem tuum eos accipiat et exaudiat. (Indulg. 300 d.)



Precationes tres
legendae in praesentia ss. corporis Domini.

Oratio prima.


DORAMUS te, Iesu Christe, rex Israel, lux gentium, princeps regum terrae, Domine Sabaoth, virtus Dei omnipotentis fortissima; adoramus te, pretiosum redemptionis nostrae pretium, hostia pacifica, quae sola odoris tui inaestimabili suavitate Patrem, qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti et filiis placabilem reddidisti. Tuas, Iesu Christe, miserationes praedicamus, tuae suavitatis memoriam cum abundantia eructamus. Tibi, Christe, sacrificium laudis immolamus pro multitudine bonitatis tuae, quam ostendisti nobis semini nequam, filiis sceleratis et perditis.

Altera oratio.

OMNIPOTENS misericors Deus, tu vere bonus exsistis, ego vero malus sum. Tu sanctus, ego miser. Tu iustus, ego iniustus. Tu lux, ego caecus. Tu vita, ego mortuus. Tu conveniens medicina, ego infirmus aeger. Tu gaudium, ego tristitia. Tu summa veritas, ego universa vanitas, ut omnis homo vivens.

Quid igitur dicam, o Creator? Audi me, o Plasmator meus. Ego creatura tua sum, plasma tuum, factura manuum tuarum. Sed, o Domine, iam ad nihilum redigor et morior cotidie. Manus tuae fecerunt me et finxerunt; illae, inquam, manus, quae in cruce pro me clavis sunt transfixae. Clementissime Redemptor, opus manuum tuarum ne despicias, sed vulnera manuum tuarum aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me, lege ipsam scripturam et salva me. En ad te suspiro creatura tua, tu Creator es, recrea me. Ad te clamo, tu vita es, vivifica me. Vocem meam attollo ad te plasma tuum, subveni mihi, instaura me. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, ut possit alloqui Deum Factorem suum? Ignosce mihi servo tuo, qui praesumo colloqui tanto Domino. Legem non habet necessitas, dolor me compellit dicere, calamitas, quam patior, cogit me exclamare. Aegrotus sum, propterea ad medicum clamo; caecus sum, ergo ad lucem propero; mortuus sum, ad vitam suspiro. Ad te, Iesu Nazarene, festino, qui es fons vitae! »O Iesu David miserere mei.« Miserere mei, fons misericordiae. Audisti me infirmum ad te clamantem. Praebe mihi manum, o clementis-

sime Pater, duc me ad te, ut ad te perveniam et in tuo lumine lumen illud aeternum videre possim. Parce mihi, Domine, et veniam da. Infelix ego homo sum, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis. Terra sum et cinis, moxque in angustia mihi moriendum est, tum ero esca vermium. Quid est, o Deus meus, vita mea aliud quam umbra, quae subito evanescit? Quemadmodum flos nunc viret, statim deinde marescit; sic vita mea fallax et umbratica praeterit, et tamen undique est laqueis mortis circumsepta. Scio etiam mihi immutabilem moriendi legem praefixam, sed quando sit moriendum et quomodo, hoc penitus ignoro. Te igitur quaeso, o mitis et misericors Deus, tu me adiuva; in virtute tua et fortitudine me subleva et sustenta. Appareas, o aeterna lux, et fulgeas in corde meo, ut in te gaudeam. Advenias, o vita, qua nihil nobilius, nihil dulcius, ut in te, apud te, vivam in regno tuo per omne aevum. Exaudi me, Domine Deus, ad honorem tui nominis et animae meae felicitatem. Amen.

Tertia oratio.

EGO, infelix atque miser peccator et indignus Christianus, flecto genua mea ante

Dominum et Salvatorem meum, qui me creavit, redemit, sustinet et conservat quique veritas ac vita in aeternum permanet. O Iesu Christe, verus Deus et homo, ego te hic praesentem adoro et invoco de vivae carnis tuae et sanguinis, corporisque et animae tuae veritate et praesentia nihil omnino dubitans. Atque utinam eo te modo contemplari, cognoscere, diligere et laudare queam, quo te summo cum gaudio tot sanctorum angelorum milia laeti contemplantur, perfecte cognoscunt, diligunt atque laudant, nullo umquam in tui obsequio, taedio vel molestia affecti. Ave salus mundi, aeternum Patris Verbum, hostia vera, viva caro, deitas integra et vita aeterna. O vere pretiosum thesaurum refertum gaudio et mundorum cordium habitaculum. O vinum angelorum cibum! O panem caelestem praestantissimum! O aeternum Patris Verbum, quod pro nobis factum est Caro, in eadem tamen persona Deus permanens, verus, inquam, tu Deus et verus homo, modo admirabili in altari consecratus et commutatus. Tu spes certa ac vera peccatorum salus; tu languentium efficacissima medicina. Tu miserorum ac inopum ceu ingens thesaurus. Benedictus sis igitur, mi dilectissime Domine Iesu Christe. Tibi

omnes creaturae laudes et gratiarum actiones concinunt, quod ferventissimo amore nostri e caelo descendens, innocens mundum ac nobile corpus tuum pro nobis in ara crucis obtuleris, quodque e mortuis resurgens et caelum conscendens, nobis hoc ipsum vivum ac immortale in solacium simul ac salutem tam benigne, amanter et affectuose donaveris, ac in momentum discessus tui et pignus erga nos summi amoris in hoc sacramento reliqueris. O tu Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri et dona nobis pacem. Quin et animam nostram solacio ac cibo spirituali subinde refice, praesertim in extremo huius aevi nostri termino, ut nec in vita nec in morte abs te et immensa tua misericordia umquam separemur. Qui vivis cum Deo Patre et Spiritu sancto etc.



Hymni eucharistici s. Thomae Aquinatis.

Hymnus »Ave verum«.

VE, verum corpus natum, ex Maria virgine; * Vere passum, immolatum in cruce pro homine; * Cuius latus perforatum

unda fluxit et sanguine. * Esto nobis praegustatum mortis in examine.

O clemens! O pie! O Iesu, fili Mariae.

Hymnus »Pange lingua«.

PANGE lingua gloriosi * Corporis mysterium * Sanguinisque pretiosi, * Quem in mundi pretium * Fructus ventris generosi * Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus * Ex intacta Virgine * Et in mundo conversatus, * Sparso verbi semine, * Sui moras incolatus * Miro clausit ordine.

In supremae nocte cenae, * Recumbens cum fratribus, * Observata lege plene * Cibis in legalibus, * Cibum turbae duodenae * Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum * Verbo carnem efficit, * Fitque sanguis Christi merum, * Et si sensus deficit, * Ad firmandum cor sincerum * Sola fides sufficit.

TANTUM ergo sacramentum * Veneremur cernui, * Et antiquum documentum * Novo cedat ritui; * Praestet fides supplementum * Sensuum defectui.

Genitori Genitoque * Laus et jubilatio * Salus, honor, virtus quoque * Sit et be-

nedictio; * Procedenti ab utroque * Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de caelo praestitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

DEUS, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis etc.

Hymnus Adoro te.

DORO te devote, latens Deitas, * Quae sub his figuris vere latitas; * Tibi se cor meum totum subicit, * Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur, * Sed auditu solo tuto creditur; * Credo quidquid dixit Dei Filius, * Nil hoc verbo Veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas, * At hic latet simul et humanitas; * Ambo tamen credens atque confitens, * Peto quod petivit latro paenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor, * Deum tamen meum te confiteor; * Fac me

tibi semper magis credere, * In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini, * Panis vivus, vitam praestans homini, * Praesta meae menti de te vivere * Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane Iesu Domine, * Me immundum munda tuo sanguine, * Cuius una stilla salvum facere * Totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio, * Oro fiat illud, quod tam sitio: * Ut te revelata cernens facie * Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Hymnus »Sacris sollemniis«.

SACRIS sollemniis iuncta sint gaudia, * Et ex praecordiis sonent praeconia; * Recedant vetera, nova sint omnia: * Corda, voces et opera.

Noctis recolitur cena novissima, * Qua Christus creditur agnum et azyma * Dedisse fratribus, iuxta legitima * Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis, * corpus Dominicum datum discipulis, * Sic totum omnibus, quod totum singulis, * Eius fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum, * Dedit et tristibus sanguinis poculum * Dicens: Accipite quod trado vasculum, * Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit, * Cuius officium committi voluit * Solis presbyteris, quibus sic congruit, * Ut sumant et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum, * Dat panis caelicus figuris terminum. * O res mirabilis, manducat Dominum * Pauper, servus et humilis!

Te, trina Deitas, unaque poscimus, * Sic nos tu visita, sicut te colimus; * Per tuas semitas duc nos, quo tendimus, * Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Hymnus »Verbum supernum«.

VERBUM supernum prodiens, * Nec Patris linquens dexteram, * Ad opus suum exiens, * Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo * Suis tradendus aemulis, * Prius in vitae ferculo * Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie * carnem dedit et sanguinem, * Ut duplicis substantiae * Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium, * Convescens in edulium, * Se moriens in pretium, * Se regnans dat in praeminm.

O salutaris hostia, * Quae caeli pandis ostium! * Bella premunt hostilia, * Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque Domino * Sit sempiterna gloria, * Qui vitam sine termino * Nobis donet in patria. Amen.

Sequentia «Lauda Sion».


AUDA, Sion, Salvatorem, * Lauda ducem et pastorem * In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude, * Quia maior omni laude, * Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, * Panis vivus et vitalis, * Hodie proponitur.

Quem in sacrae mensa cenae * Turbae fratrum duodenae * Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, * Sit iucunda, sit decora * Mentis iubilatio.

Dies enim sollemnis agitur, * In qua mensae prima recolitur * Huius institutio.

In hac mensa novi Regis * Novum pascha novae legis; * Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas, * Umbram fugat veritas, * Noctem lux eliminat.

Quod in cena Christus gessit, * Faciendum hoc expressit * In sui memoriam.

Docti sacris institutis * Panem vinum in salutis * Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, * Quod in carnem transit panis * Et vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, * Animosa firmat fides * Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, * Signis tantum et non rebus, * Latent res eximiae.

Caro cibus, sanguis potus, * Manet tamen Christus totus * Sub utraque specie.

A sumente non concisus, * Non confractus, non divisus, * Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille; * Quantum isti, tantum ille; * Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali, * Sorte tamen inaequali: * Vitae vel interitus.

Mors est malis, vita bonis; * Vide, paris sumptionis * Quam sit dispar exitus.

Fracto demum sacramento, * Ne vacilles, sed memento, * Tantum esse sub fragmento, * Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura, * Signi tantum fit fractura, * Qua nec status, nec statura * Signati minuitur.

Ecce panis angelorum, * Factus cibus

viatorum, * Vere panis filiorum, * Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, * Cum Isaac immolatur, * Agnus paschae deputatur * Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere, * Iesu nostri miserere; * Tu nos pasce, nos tuere, * Tu nos bona fac videre * In terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales, * Qui nos pascis hic mortales, * Tuos ibi commensales, * Cohaeredes et sodales * Fac sanctorum civium. Amen.

Jubilus S. Bernardi.



ESU, dulcis memoria, * Dans vera cordis gaudia, * Sed super mel et omnia * Eius dulcis praesentia.

Nil canitur suavius, * Auditur nil iucundius, * Nil cogitatur dulcius, * Quam Iesus, Dei Filius.

Iesu, spes paenitentibus, * Quam pius es petentibus, * Quam bonus te quaerentibus, * Sed quid invenientibus?

Iesu, dulcedo cordium, * Fons vivus, lumen mentium * Excedens omne gaudium * Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere * Nec littera

exprimere, * Expertus potest credere, * Quid sit Iesum diligere.

Iesum quaeram in lectulo, * Clauso cordis cubiculo, * Privatim et in publico * Quaeram amore sedulo.

Cum Maria diluculo * Iesum quaeram in tumulo, * Clamore cordis querulo, * Mente quaeram, non oculo.

Tumbam perfundam fletibus, * Locum replens gemitibus, * Iesu provolvar pedibus * Strictis haerens amplexibus.

Iesus rex admirabilis*Et triumphator nobilis, * Dulcedo ineffabilis, * Totus desiderabilis.

Mane nobiscum, Domine, * Et nos illustra lumine, * Pulsa mentis caligine * Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas, * Tunc lucet ei veritas, * Mundi vilescit vanitas * Et intus fervet caritas.

Amor Iesu dulcissimus * Et vere suavissimus, * Plus millies gratissimus, * Quam dicere sufficimus.

Hoc probat eius passio, * Hoc sanguinis effusio, * Per quem nobis redemptio * Datur et Dei visio.

Iesum omnes cognoscite, * Amorem eius poscite, * Iesum ardenter quaerite, * Quaerendo inardescite.

Sic amantem diligite, * Amoris vicem reddite; * In hunc odorem currite * Et vota votis reddite.

Iesus auctor clementiae, * Totius spes laetitiae, * Dulcoris fons et gratiae, * Vere cordis deliciae.

Iesu mi bone, sentiam * Amoris tui copiam, * Da mihi per praesentiam * Tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam, * De te tamen non sileam, * Amor facit ut audeam, * Cum solum de te gaudeam.

Tua, Iesu, diléctio, * Grata mentis refectio, * Replens sine fastidio, * Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt, * Qui bibunt, adhuc sitiunt, * Desiderare nesciunt, * Nisi Iesum, quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat, * Novit quid Iesus sapiat, * Quam felix est, quem satiat, * Non est ultra, quod cupiat.

Iesus decus angelicum, * In aure dulce canticum, * In ore mel mirificum, * In corde nectar caelicum.

Desidero te millies, * Mi Iesu, quando venies? * Me laetum quando facies? * Me de te quando saties?

Amor tuus continuus * Mihi languor

assiduus, * Mihi fructus mellifluus * Est et vitae perpetuus.

Iesu, summa benignitas, * Mira cordis iucunditas, * Incomprehensa bonitas, * Tua me stringat caritas.

Bonum mihi diligere * Iesum, nil ultra quaerere, * Mihi prorsus deficere, * Ut illi queam vivere.

O Iesu mi dulcissime, * Spes suspirantis animae, * Te quaerunt piae lacrimae * Et clamor mentis intimae.

Quocumque loco fuero, * Mecum Iesum desidero, * Quam laetus, cum invenero, * Quam felix, cum tenuero.

Tunc amplexus, tunc oscula, * Quae vincunt mellis pocula, * Tunc felix Christi copula, * Sed in his parva morula.

Iam quod quaesivi video, * Quod concupivi teneo, * Amore Iesu langueo * Et corde totus ardeo.

Iesus cum sic diligitur, * Hic amor non exstinguitur, * Non tepescit nec moritur, * Plus crescit et accenditur.

Hic amor ardet iugiter, * Dulcescit mirabiliter, * Sapit delectabiliter, * Delectat et feliciter.

Hic amor missus caelitus, * Haeret mihi

medullitus, * Mentem incendit penitus, * Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium * Et ardens desiderium, * O dulce refrigerium, * Amare Dei Filium.

Iesus, flos matris Virginis, * Amor nostrae dulcedinis, * Tibi laus, honor numinis, * Regnum beatitudinis.

Veni, veni, rex optime, * Pater immensae gloriae, * Affulge mente clarius, * Iam exspectatus saepius.

Iesus sole serenior * Et balsamo suavior, * Omni dulcore dulcior, * Ceteris amabilior.

Cuius gustus sic afficit, * Cuius odor sic reficit, * In quo mens mea deficit, * Solus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio, * Amoris consummatio, * Tu mea gloriatio, * Iesu mundi salvatio.

Mi dilecte, revertere, * Consors paternae dexterae, * Hostem vicisti prospere, * Iam caeli regno fruere.

Sequar te, quocumque ieris, * Mihi tolli non poteris, * Cum meum cor abstuleris, * Iesus laus nostri generis.

Caeli cives occurrite, * Portas vestras attollite; * Triumphatori dicite: * Ave, Iesu, rex inclyte!

Rex virtutum, rex gloriae, * Rex insignis victoriae, * Iesu, largitor veniae, * Honor caelestis patriae.

Tu fons misericordiae, * Tu verae lumen patriae, * Pelle nubem tristitiae * Dans nobis lucem gloriae.

Te caeli chorus praedicat * Et tuas laudes replicat; * Iesus orbem laetificat * Et nos Deo pacificat.

Iesus in pace imperat, * Quae omnem sensum superat, * Hanc mea mens desiderat, * Et illa frui properat.

Iesus ad Patrem rediit, * Caeleste regnum subiit, * Cor meum a me transiit, * Simul post Iesum abiit.

Quem prosequamur laudibus, * Votis, hymnis et precibus, * Ut nos donet caelestibus * Secum perfrui sedibus.

Amen.



Litaniae ss. Sacramenti.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Panis angelorum,
Panis supersubstantialis,
Panis pinguis et deliciae regum,
Panis vivus, qui de caelo descendisti,
Panis, qui dat vitam mundo,
Panis, cor hominis confirmans,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Manna absconditum,
Spiritualis dulcedo,
Mensa purissima,
Cibus et conviva,
Caeleste antidotum,
Pharmacum immortalitatis,
Memoria mirabilium Dei,
Stupendum supra omnia miraculum,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Oblatio munda,
Iuge sacrificium,
Dulcissimum convivium,
Mysterium fidei,
Vinculum caritatis,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,

Pignus futurae gloriae,
Sacramentum pietatis,
Vivificum sacramentum.
Venerabile sacramentum,
Sanctissimum sacramentum,
Deus abscondite,
Verbum caro factum.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione, libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccato,
Per desiderium, quo hoc pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, quo discipulorum pedes lavisti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum sacramentum instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosum, quem pro nobis in cruce fudisti.
Per sanctam oblationem tuam, quam in altari nobis reliquisti.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut in nobis fidem et reverentiam huius admirabilis sacramenti augere et conservare digneris,
Ut ardens desiderium panis huius caelestis percipiendi in nobis excitare digneris,
Ut ad dignum et frequentem usum sa-

crosanctae Eucharistiae nos disponere digneris,
Ut vivifici huius sacramenti pretiosos fructus nobis impertire digneris,
Ut ad visitandum et adorandum ss. sacramentum nos excitare digneris,
Ut in hora mortis hoc caelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Fili Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. serceto.

℣. Panem de caelo praestitisti eis.
℟. Omne delectamentum in se habentem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui vivis

et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria V. angorum Christi.

IESUS positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Pater noster etc.

Apparuit autem illi angelus de caelo confortans eum, et correptus angore enixius orabat. Pater noster etc.

Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Pater noster etc.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

DOMINE Iesu Christe, qui pro redemptione mundi miserias et angustias, opprobria et convicia, passionem et mortem patienter ferre voluisti, largire quaesumus, ut ista proficiant vivis ad gratiam, defunctis ad veniam et nobis omnibus ad vitam sempiternam. Amen.





Feria sexta.

Cultus ss. cordis Iesu et passionis Iesu.

Salutatio cordis Iesu.

Dum b. Mechtildis in amaritudine cordis recogitaret, quam neglegenter Deo serviisset, dixit Christus ad eam: Pro omnibus, quae neglexisti, ut ea plane reciperare queas, saluta cor meum in divina bonitate hoc modo:



SALVE cor Iesu dulcissimum, suavisonum s. Trinitatis organum. Salve cor Iesu mellifluum, omnis bonitatis et gratiae vivum profluvium. Salve cor Iesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum triclinium. Millies et millies benedico et saluto te in divina bonitate, qua es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum cor Iesu Christi, per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te in abun-

dantia omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas totiens irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae.

O COR Iesu, cor dulce! o cor Iesu, cor suave! o cor Iesu, cor amabile! o cor manans dulcedine, redundans pietate, supereffluens caritate! In tuam intimam medullam immergo meum spiritum et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et neglegentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias: tibi commendo vitam et finem vitae meae. O cor thymiama dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium dignissimum! offero temetipsum super reconciliationis humanae altare aureum, in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

BENEDICO te, cor Iesu nobilissimum, in illo amore, quo a Spiritu sancto ex castissimo Mariae virginis sanguine es creatum. Glorifico te, cor Iesu dulcissimum, in illo amore, quo a sanctissima Trinitate omnibus caelestibus bonis es decoratum. Magnifico te, cor Iesu mitissimum, in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror

te, cor Iesu benignissimum, in illo amore, quo in cruce moriens dirruptum fuisti. Collaudo te, cor Iesu fidelissimum, in illo amore, quo lancea transverberari sanguinemque et aquam distillare voluisti.

TE igitur, o superdignissima Trinitas, per illud superbenedictum cor laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia offero tuae supremae maiestati idipsum cor dulcissimum ac unice dignissimum in illa dignitate, qua plenum est divina gratitudine ac omnimodae beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum, orans, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.



Actus consecrationis
ad Sacratissimum cor Iesu.

DULCISSIME Iesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles cordis tui divitias

nobis miseris et indignis aperire dignatus es! ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro ss. eucharistiae institutione et ad reparandas iniurias omnes a me et ab aliis quibuscumque in hoc infiniti amoris mysterio cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens me divini cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

INSUPER beatissimam virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo huiusque purissimo cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens me huius purissimae matris cultum iuxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A TUA ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.



Oblatio sui

ante imaginem ss. cordis Iesu facienda.


MI Iesu amantissime! ego N. N., ut gratitudinem tibi exhibeam nec non infidelitates meas resarciam, tibi cor meum dono et ex integro me tibi dedico et consecro atque te auxiliante mihi propono non amplius peccare.

Aspirationes sacrae ad cor sanctissimum Iesu.


COR divinissimum, suprema angelorum et hominum adoratione dignissimum, adoro te, laudo te, glorifico te. Fac, obtestor, ut tua illa divina et infinita excellentia animum meum te illuminante perfundat et debita admiratione defigat.

O COR amabilissimum, infinito amore dignum, amo te, toto cordis affectu complector te, deosculor te; me tibi, obsecro, artissime et inseparabiliter coniunge.

O COR sanctissimum, fons perennis sanctitatis, virtutibus tuis caelestibus terrestre cor meum immuta, consecra, sanctifica.

O COR, gratiarum omnium thesaurus indeficiens, divinis tuis muneribus miserum et egentissimum cor meum subleva, dita, cumula.

O REX cordium, dominator legitime imo et unice omnium cordium, subice imperio illo tuo divinissimo ac suavissimo etiam rebelle cor meum.

O COR, aeternae caritatis sedes dignissima, divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

O COR Iesu Patri aeterno infinite gratum, me tuis meritis maiestati eius acceptum constitue; mea omnia tu perfice atque divinis aspectibus digna redde.

DULCISSIME Iesu, ne sis mihi Iudex, sed Salvator!

O MI Iesu, misericordia!

Antiphona. Ave, admirabile cor Iesu, te laudamus, te benedicimus, te glorificamus, tibi gratias agimus, tibi cor nostrum offerimus, donamus et consecramus; accipe et posside illud totum; purifica, illumina et sanctifica, ut in ipso vivas et regnes in perpetuum. Amen.

℣. Iesu, mitis et humilis corde.

℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

Oremus.

RESPICE, quaesumus, Domine, in faciem et in cor Christi tui, et sacris, quibus ardet ignibus, ita corda nostra comburas, ut nihil nobis sapiat, nihil nos delectet, nihil nos alliciat praeter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Amen.



Litaniae ss. cordis Iesu.

YRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Iesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Iesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Iesu, sapientiae abyssus,
Cor Iesu, bonitatis oceanus,
Cor Iesu, misericordiae thronus,
Cor Iesu, thesaurus numquam deficiens,
Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,

Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra,

Cor Iesu, virtutum omnium exemplar,

Cor Iesu, infinite amans et infinite amandum,

Cor Iesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,

Cor Iesu, in quo sibi Pater bene complacuit,

Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris,

Cor Iesu, propter nos amaritudine repletum,

Cor Iesu, usque ad mortem in horto tristissimum,

Cor Iesu, opprobriis saturatum,

Cor Iesu, amore vulneratum,

Cor Iesu, lancea perforatum,

Cor Iesu, in cruce sanguine exhaustum,

Cor Iesu, attritum propter scelera nostra,

Cor Iesu, etiamnum ab ingratis hominibus in sacrosancto amoris sacramento dilaceratum,

Cor Iesu, refugium peccatorum,

Cor Iesu, fortitudo debilium,

Cor Iesu, consolatio afflictorum,

Cor Iesu, perseverantia iustorum,

Cor Iesu, salus in te sperantium,

Cor Iesu, spes in te morientium,

Cor Iesu, cultorum tuorum dulce praesidium,

Cor Iesu, deliciae sanctorum omnium,

Cor Iesu, adiutor noster in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

℣. Iesu, mitis et humilis corde.

℟. Fac cor meum secundum cor tuum.

Oremus.

CONCEDE, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes praecipua in nos caritatis eius beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Dominum nostrum etc.



Orationes seraphicae matris s. Brigittae de passione Domini.



O IESU Christe, aeterna dulcedo te amantium, iubilus excedens omne gaudium et omne desiderium, salus et amator

peccatorum, qui delicias tuas testatus es esse cum filiis hominum, homo factus in fine temporum, memento omnis praemeditationis et intimi maeroris, quem in corpore humano sustinuisti, instante saluberrimae tuae passionis tempore, in divino corpore praeordinato; memento tristitiae et amaritudinis, quam in anima (te ipso attestante) habuisti, quando in ultima cena discipulis tuis corpus et sanguinem tuum tradidisti, pedes eorum lavasti et dulciter eos osculando imminentem passionem praedixisti. Memento omnis timoris, angustiae et doloris, quem in tuo corpore delicato ante passionem crucis tuae pertulisti, quando post trinam orationem et sanguineum sudorem a Iuda discipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, a falsis testibus accusabaris, a tribus iudicibus iniuste iudicabaris, in electa civitate, in paschali tempore, in florida corporis iuventute innocenter damnabaris, veste propria exuebaris et vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis et facie velabaris, alapis caedebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris et innumerabilibus aliis calumniis lacerabaris. Da, Domine Deus, mihi, quaeso, ob memoriam harum ante crucem tuam pas-

sionum veram contritionem, veram confessionem, dignam satisfactionem ac omnium peccatorum meorum remissionem. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, vera libertas angelorum, paradisus deliciarum, memento maeroris et horroris, quos sustinebas, cum omnes inimici tui quasi leones ferocissimi te circumsteterunt et colaphizationibus, consputionibus, ungulationibus ceterisque poenis inauditis te molestaverunt. Per has poenas et per omnia contumeliosa verba durissimaque tormenta, quibus te, Domine Iesu Christe, omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis visibilibus et invisibilibus et dones mihi sub umbra alarum tuarum ad perfectionem salutis aeternae pervenire. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, mundi fabricator, quem nulla dimensio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordari amarissimi doloris, quem sustinebas, cum Iudaei sanctissimas manus tuas ad crucem obtusis clavis primo affixerunt et ad perforandum delicatissimos pedes tuos (cum factis in cruce foraminibus corporis tui statura minus esset conveniens) dolorem vulneribus tuis addiderunt et sic

crudeliter te distraxerunt, et extenderunt in longum et latum crucis tuae, ut dissolverentur compages membrorum tuorum. Deprecor te per huiusmodi sacratissimi amarissimique in cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem et amorem tuum. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, caelestis medice, recordare languoris et doloris, quos in alto crucis patibulo levatus passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in statu suo recte permanserat, ita ut nullus dolor dolori tuo similis inveniretur, quia a planta pedis usque ad verticem capitis in te non fuit sanitas. Et tamen omnium dolorum immemor Patrem pro inimicis pie orasti dicens : »Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.« Per hanc misericordiam et ob memoriam illius doloris concede, ut haec memoria passionis tuae amarissimae sit omnium peccatorum meorum plena remissio. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, speculum caritatis aeternae, memento illius maeroris, quem habuisti, quando in speculo serenissimae maiestatis tuae conspexisti praedestinationem electorum per merita tuae passionis salvandorum, et reprobationem malorum per sua demerita dam-

nandorum, et per abyssum miserationis tuae, qua nobis perditis peccatoribus et desperatis tunc condoluisti et quam latroni exhibuisti dicens: »Hodie mecum eris in paradiso«, rogo te, pie Iesu, facias mecum misericordiam tuam in hora mortis meae. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, rex amabilis et amice totus desiderabilis, memento illius maeroris, quem habuisti, quando nudus et miserabilis in cruce pependisti et omnes amici et noti tui adversum te steterunt et nullum consolantem inveniebas, sed solam dilectam Genetricem tuam in amaritudine animae tuae tibi fidelissime adstantem videbas, quam discipulo tuo commendasti et ipsum discipulum per te ei filium dedisti dicens: »Mulier, ecce filius tuus«, et ad discipulum: »Ecce mater tua.« Rogo te, pie Iesu, per gladium doloris, qui tunc eius animam pertransivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus et afflictionibus meis, corporalibus et spiritualibus et des mihi consolationem in tempore tribulationis et in hora mortis meae. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, fons inexhaustae pietatis, qui ex intimo affectu in cruce dixisti: »Sitio« (sci-

licet salutem generis humani), accende, quaesumus, cordium nostrorum desideria ad omne opus perfectum, et sitim carnalis concupiscentiae aestumque mundanae delectationis in nobis penitus refrigera et exstingue. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, dulcedo cordium ingensque suavitas mentium, per amaritudinem aceti et fellis, quam pro nobis degustasti, in hora mortis meae concede mihi, corpus et sanguinem tuum digne percipere ad remedium et consolationem animae meae. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, regalis virtus iubilusque mentis, memento angustiae et doloris, quem passus es, quando prae mortis amaritudine et Iudaeorum insultatione cum magna voce te a Deo Patre derelictum clamasti, dicens: »Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?«; per hanc angustiam peto a te, ut in angustiis meis non derelinquas me, Domine Deus noster. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, alpha et omega, virtus et vita in omni tempore, recordare, quod a summo capitis usque ad plantam pedis te pro nobis in aquam passionis tuae demersisti. Propter

latitudinem et longitudinem vulnerum tuorum doce me in peccatis emersum per veram caritatem custodire latum mandatum tuum nimis. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, abyssus profundissimae misericordiae, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quae pertransierunt medullam ossium ac viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis emergas abscondasque in foraminibus vulnerum tuorum a facie irae tuae, donec pertranseat furor tuus, Domine. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, veritatis speculum, signum unitatis caritatisque vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum, quibus a summo capitis usque ad imum pedis vulneratus fuisti et sanctissimo sanguine tuo rubricatus! Quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertulisti pro nobis, pie Iesu. Quid ultra debuisti facere et non fecisti? Scribe, quaeso, pie Iesu, omnia vulnera tua in corde meo pretiosissimo sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum et mortem et in gratiarum actionem usque in finem iugiter perseverem. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, leo fortissime, rex immortalis et invictissime, memento doloris, quem passus es, cum omnes vires cordis et corporis tui tibi penitus defecerunt et inclinato capite: »Consummatum est« dixisti. Per hanc angustiam et dolorem miserere mei in ultima consummatione exitus mei, cum anima mea anxiata fuerit et spiritus meus conturbatus. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, Unigenite altissimi Patris, splendor et figura substantiae eius, memento obnixae commendationis, qua Patri spiritum commendasti dicens: »In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum«, et lacerato corpore et rupto corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiae tuae pro nobis redimendis exspirasti. Per hanc pretiosissimam mortem precor te, rex sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni et sanguini, ut mundo mortuus tibi vivam et in novissima hora exitus mei suscipe ad te revertentem spiritum meum, exsulem et peregrinum. Amen. Pater noster et Ave.

O IESU, vitis vera et fecunda, memento superfluentis et abundantis effusionis sanguinis, quem tu, sicut de botro expressum,


copiosissime effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti et lancea militari perfosso latere nobis sanguinem et aquam propinasti, ita ut minima gutta in te non remaneret; demum quasi myrrhae fasciculus in altum suspensus fuisti et delicata caro tua elanguit et liquor viscerum tuorum exaruit. Per hanc amarissimam passionem et pretiosi sanguinis effusionem, pie Iesu, precor te, suscipe animam meam in agone mortis meae. Amen. Pater noster et Ave.

Peroratio.


DULCIS Iesu! vulnera cor meum, ut paenitentiae et amoris lacrimae sint mihi panes die ac nocte. Et converte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuo tibi fiat habitabile et conversatio tibi sit placita et accepta, ac finis vitae meae ita laudabilis, ut post huius vitae terminum merear te laudare cum omnibus sanctis in aeternum. Amen.

O DOMINE Iesu Christe, Fli Dei vivi! suscipe hanc orationem in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui sacratissimi corporis sustinuisti. Miserere mei, famuli tui, et omnibus peccatoribus cunctis-

que fidelibus tam vivis quam defunctis da misericordiam, gratiam et remissionem et vitam aeternam. Amen.



Oratio ad Christi vulnera.



O SUAVIS Redemptor mundi, qui spineam coronam non dubitasti portare pro humani generis salute, concede veniam de peccatis meis, quae feci per quinque sensus corporis mei. Amen.

Liberator animarum, qui in cruce gustasti amaritudinem aceti et fellis et bibere respuisti, exaudi me miserum peccatorem, ut quidquid male loquendo contra te commisi, pro tua sancta caritate, quam semper apud te habes, omnia peccata mea dimittas. Amen.

Oratio ad brachia.

CHRISTE Deus, castitatis amator, qui sanctissima brachia tua extendisti in ligno crucis ac sanctas et venerabiles manus tuas perforari permisisti, confige manus meas, ut quidquid male operando feci, per tuam gratiam vitare possim. Amen.

Ad dexteram manum.

LAUS et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere dexterae manus tuae, Domine Iesu Christe; per hoc sacrum vulnus tuum remitte mihi omnia peccata mea, quae umquam contra te deliqui cogitatione, locutione et neglegentia tui servitii et opere, in delectatione prava, dormiendo vel vigilando, sponte vel nescienter, et per venerabilem passionem tuam da mihi, piissimam mortem tuam et sacratissima vulnera tua memoria recolere et te donante tibi gratias semper exhibere. Amen.

Ad sinistram manum.

LAUS et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere sinistrae manus tuae, Domine Iesu Christe; per hoc sacrum vulnus tuum remitte mihi omnia peccata mea et miserere mei, et quidquid tibi displicet in me, dignare gratanter mutare. Da mihi virtutem contra hostes nequissimos, ut tua virtute valeam eos superare, et per piissimam mortem tuam libera me ab omnibus periculis praesentis vitae et futurae et fac me dignum gratia tua in regno tuo. Amen.

Ad sacros pedes.

O LARGITOR vitae perpetuae, qui sanctissimos pedes tuos in cruce confixos habuisti, dirige in viam salutis aeternae gressus meos, et qui liber ab infernis remeasti, da mihi indigno famulo tuo partem priscae resurrectionis cum sanctis et electis tuis. Amen.

Ad dexterum pedem.

LAUS et gloria sit tibi pro sanctissimo vulnere dextri pedis tui. Domine Iesu Christe, per hoc sacrum vulnus tuum concede mihi dignam paenitentiam agere pro peccatis meis, et per sanctissimam mortem tuam te deprecor, piissime Iesu, ut me famulum tuum diebus ac noctibus in tua voluntate custodias et ab omni adversitate corporis et animae eripias animamque meam in die tremenda in tuam fidem ac misericordiam suscipias et ad gaudia aeterna perducas. Amen.

Ad sinistrum pedem.

LAUS et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere sinistri pedis tui, Domine Iesu Christe; per hoc sacrum vulnus tuum concede mihi veniam plenae indulgentiae, ut te succurrente merear iudicium ultionis evadere et per sanc-

tissimam mortem tuam te deprecor, piissime Iesu, ut ante diem obitus mei percipere merear sacramenta dulcissimi corporis et sanguinis tui cum integra peccatorum meorum confessione et perfecta paenitentia et cum sacri olei unctione merear pervenire ad aeternam salutem. Amen.

CONSOLATOR omnium pressurarum Iesu Christe, cuius latus lancea militis apertum fuit, sana vitiorum meorum vulnera et amore tuae dilectionis cor meum et meum durissimum pectus transfige.

Ad latus.

LAUS et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere lateris tui, dulcissime Domine Iesu Christe; per hoc sacrum vulnus tuum et per hanc sanctissimam misericordiae tuae largitatem, quam in aperitione lateris tui ostendisti, te suppliciter deprecor, dulcissime Iesu, ut sicut per baptismum ab originali peccato me mundasti, sic per pretiosissimum sanguinem tuum, qui toto orbe terrarum immolatur et sumitur, libera me ab omnibus periculis praesentibus et futuris, et per amarissimam mortem tuam da mihi fidem veram, spem firmam et caritatem perfectam, ut toto corde,

tota anima totaque virtute te diligam. Confirma me in omnibus bonis operibus et da mihi fortem perseverantiam in tuo sancto servitio, ut tibi perfecte placere valeam hic et in futuro saeculo. Amen.



Litaniae de passione Christi.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Iesu, rex mitis, Ierusalem ingresse,
Iesu, prae compassione lacrimate,
Iesu, triginta argenteis vendite,
Iesu, ad discipulorum pedes inclinate,
Iesu, in oratione prostrate,
Iesu, ab angelo confortate,
Iesu, in agonia sanguineo sudore perfuse,
Iesu, osculo a Juda tradite,
Iesu, a ministris ligate,
Iesu, a discipulis derelicte,
Iesu, Annae et Caiphae praesentate,
Iesu, alapa a ministro percusse,

Iesu, a falsis testibus accusate,
Iesu, reus mortis iudicate,
Iesu, in faciem conspute,
Iesu, oculis velate,
Iesu, colaphis caese,
Iesu, a Petro ter negate,
Iesu, vinctus Pilato tradite,
Iesu, ab Herode sprete et illuse,
Iesu, veste alba indute,
Iesu, Barabbae postposite,
Iesu, flagellis caese,
Iesu, veste purpurea indute,
Iesu, spinis coronate,
Iesu, arundine percusse,
Iesu, a Iudaeis ad crucem postulate,
Iesu, morte turpissima condemnate,
Iesu, crucis pondere gravate,
Iesu, tamquam ovis ad occisionem ducte,
Iesu, vestibus exute,
Iesu, clavis in cruce confixe,
Iesu, pro inimicis Patrem deprecate,
Iesu, in cruce blasphemate,
Iesu, latroni paenitenti paradisum pollicite,
Iesu, qui Ioannem matri tuae in filium commendasti,
Iesu, te a Patre derelictum attestate,
Iesu, felle et aceto in siti potate,
Iesu, spiritum in manus Patris commendans,
Iesu, usque ad mortem oboediens facte,
Iesu, lancea transfixe,
Iesu, de cruce deposite,

Iesu, in sepulcro collocate.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A cunctis mentis et corporis periculis,
A morte perpetua,
Per mundissimam conceptionem tuam,
Per miraculosam nativitatem tuam,
Per humilem circumcisionem tuam,
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per labores et vigilias tuas,
Per dolorosam flagellationem et coronationem tuam,
Per sitim, lacrimas et nuditatem tuam,
Per pretiosam mortem et crucem tuam,
Per gloriosam resurrectionem et ascensionem tuam,
Per missionem Spiritus sancti paracliti,
In die iudicii.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram paenitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris,
Ut ecclesiam tuam sanctam defendere et propagare digneris,
Ut societates in tuo

sancto nomine congregatas conservare et amplificare digneris,
Ut nobis veram pacem humilitatem et caritatem largire digneris,
Ut in gratia et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris,
Ut nos collegio sanctorum tuorum sociare digneris,
Ut nos exaudire digneris.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. — Pater noster etc. secreto.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Qui per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Reminiscere miserationum tuarum, Domine.

℟. Et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

℣. Vide humilitatem meam et laborem meum.

℟. Et dimitte universa delicta mea.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, qui unigeniti Filii tui passione et morte humanam naturam peccato perditam reparasti, tribue nobis, quaesumus, ut qui eius passionem veneramur in terris, eiusdem fructus consequi mereamur in caelis. Per eundem Dominum.



Feria VI. ad signum memoriae mortis Christi.



A SEXTA hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. Pater noster.

Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna dicens: Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? Pater noster.

Et iterum clamans voce magna ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum. Pater noster.


℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

RESPICE, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

DOMINE Iesu Christe, qui pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.



Exercitium sanctae viae crucis.

Praeparatio.


IMMENSE, clementissime, o misericordissime Deus! ego, misera et indignissima creatura, cum profundissima humilitate in terram prostrata, adoro te Deum ac Dominum meum: Credo in te, spero in te, amo te super omne bonum, et ideo doleo ex intimo corde, quod te unicum et summum bonum meum umquam offenderim. Ad tuam gloriam, meam salutem et ad lucrandas indulgentias, quarum unam plenariam animae meae, reliquas vero omnes animabus in purgatorio, in specie N. N. applicare cupio, hanc devotionem aggredior et sub praesidio et ad exemplum dolorosae matris tuae virginis Mariae, in comitatu mei angeli tutelaris hanc s. viam crucis tua sancta gratia adiuvante peragere intendo.

I. Statio.

Christus ad mortem condemnatur.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

INNOCENTISSIMUS Iesus, qui peccatum non fecit nec facere potuit, ad mortem condemnatur, et quidem ad ignominiosam mortem crucis. Ut Pilatus amicus Caesaris habeatur, tradit Iesum voluntati inimicorum suorum. O horrenda iniustitia! ut homini placeat, innocentiam damnare et Deum offendere non formidat.

O INNOCENTISSIME Iesu! ego peccavi, ego mortis aeternae reus sum; ut autem ego vivam, tu sententiam mortis lubens acceptas. Quomodo ergo imposterum vivam, nisi tibi soli? Si hominibus placere cupiam, servus tuus esse non possum; displiceam igitur ipsis et toti mundo, ut tibi soli placere valeam.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

II. Statio.

Iesus suscipit crucem super humeros.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

IESUS crucem intuens summo cum desiderio sua brachia sanguine madentia ad eam extendit illamque tenerrime amplexus, codeintime osculatus, humeris suis vulneribus dilaniatis imponit, et, licet ad mortem usque debilitatus, exsultat ut gigas ad currendam viam suam.

QUM amicus Christi ero, si inimicus crucis sim? O dulcis, o bona crux! ego te amplector, exosculor et gaudenter suscipio de manu Dei. Absit a me amplius gloriari, nisi in cruce Domini mei, per quam mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo; ut totus tuus sim, o Iesu! tuae passionis me fac consortem.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

III. Statio.

Iesus prima vice cadit sub cruce.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

AMANTISSIMUS Iesus, cruce oneratus incedens, eius pondere depressus graviter in

terram prolapsus est. Scilicet peccata nostra pondus illud intolerabile efficiebant, cui alias crux levis et dulcis amore nostri videbatur.

AH mi Iesu! tu grave iugum peccatorum meorum portasti, et iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super te; cur ergo iugum mandatorum tuorum ferre recusem, ut sic alter alterius onera portemus? Iugum tuum suave est et onus tuum leve. Libenter itaque et gaudenter illud suscipiam et portare contendam, donec vixero. Tu, o Iesu, portantem me gratia tua ita conforta, ne cadam amplius peccando graviter.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

IV. Statio.

Iesus crucem baiulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

QUAM dolorosus erat aspectus afflictissimae matris Mariae, dilectissimum Filium suum gravi cruce onustum, totum vulneribus et sanguine scatentem, ab infami faece car-

nificum tanta rabie impulsum conspicientis? Quam ineffabiles dolores sensit illud tenerrimum cor maternum? O! quam desiderabat pro Iesu, vel saltem cum Iesu mori!

O IESU! o Maria! ego sum causa dolorum cordium vestrorum, summe invicem amantium et ad extremum usque desolatorum. Ah! utinam et cor meum de vestro dolore participet! — Eja, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut sibi complaceam. — Hoc demum a te humiliter efflagito, ut et mihi in amarissimae huius passionis vestrae memoria mortis semitam intranti materna pietate occurrere et cum Filio tuo dulcissimo succurrere digneris.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

V. Statio.

Iesus a Simone Cyrenaeo in baiulatione crucis adiuvatur.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

SIMON Cyrenaeus angariatur ad tollendam crucem post Iesum, propter scelera nostra attritum ac debilitatum, quem, licet renitentem, Iesus pro comite acceptat. O quam gratus hic in passione socius foret, si non coacte, sed sponte venisset. Sed etiam te, o anima mea, libenter acceptaret, si velles. Vocat te, invitat te: Tolle crucem tuam et sequere me. Tu vero resistis, et pro pudor! non nisi coacte crucem suscipis.

O IESU! quam vere dixisti: Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. — En! ut dignus te efficiar, ultro me comitem tibi in via crucis iungo, feram lubens tribulationem et crucem, si non tuam gravissimam, saltem illam meam, quamcumque demum humeris imponere meis tibi placuerit; hanc sequendo te portabo patiens usque ad finem vitae meae.

Pater noster etc.
Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

VI. Statio.

Veronica Christo sudarium praesentat.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

VERONICA ex compassione et devotione velum capitis sui Iesu porrexit ad abstergendam faciem suam, sanguine et sputis defoedatam. Ille autem vultus sui effigiem eidem impressam restituit. O exiguum obsequium, et merces magna nimis! Sed quale obsequium praestas tu, o anima mea, Salvatori tuo pro tot immensis beneficiis? recogita, dole et emendationem propone.

O IESU! quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? totum me consecro servitio tuo, totum cor meum tibi offero; pone te, ut signaculum super illud, et imprime imaginem tuam, ut iugiter memoria memor sim tui, nec tu operis tui obliviscaris in finem.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

VII. Statio.

Secundus lapsus Iesu ad portam.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

DOLOROSISSIMUS Iesus iterum sub crucis pondere iacet, sacratissima sua facie in terram prostratus, nec a diabolica crudelitate carnificum momentum quietis ipsi datur; funibus et fustibus ad progrediendum compellitur. Hunc lapsum causarunt peccata nostra reiterata, et ego amplius peccare delecter?

O IESU! miserere mei, porrige dexteram tuam, sustenta me, ne amplius in peccata priora relabar. Ergone peccatum hoc N. N. **sciens volens repetam? absit a me. Dixi, nunc coepi; ab hoc momento serio conclusum sit, millies mori, quam peccare. Tu, mi Iesu, conforta me per gratiam tuam, sine qua nihil possum.**

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

VIII. Statio.

Iesus filias Ierusalem flentes alloquitur.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

DEVOTAE hae mulieres plorant dolentes super Salvatorem, ipse autem ad eas con-

versus ait: Nolite flere super me innocentem, sed super vos ipsas flete et super filios vestros, super peccata vestra flete utpote causam omnium horum dolorum. Ergo et tu plora, anima mea! Nihil gratius est Christo tibique nihil utilius, quam lacrimae, ex dolore de peccatis profusae.

O IESU! quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut die ac nocte defleam peccata mea? Per amaras sanguineas lacrimas tuas te oro, concede mihi donum lacrimarum; contere cor meum, ut ex oculis et corde copiosae lacrimae profluant et peccata mea vera contritione exstinguant.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

IX. Statio.

Iesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

IESUS despectus et novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem, quam

pro nobis assumpsit et pertulit, pedem montis Calvariae attingens iam tertio gravissime prolapsus est, dolorosissime allisus in saxum ibidem in via positum. O quam immane pondus est peccatum, quod Iesum totiens in terram depressit, ét me iam dudum in abyssum inferni detrusisset, nisi pretiosa merita sanctissimae passionis eius me praeservassent.

O CLEMENTISSIME Iesu! infinitas tibi gratias ago, quod me totiens peccàntem peccatis meis nec immori, nec, prout centies merebar, in profundum inferni praecipitari permiseris. Accende in me novum fervorem, fove hunc iugiter meque in tua conserva gratia, ne umquam amplius ea excidam aut cadam retro, sed in bono confirmatus de corpore mortis huius transeam ad libertatem filiorum Dei perfectam.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

X. Statio.

Iesus vestibus nudatur et felle potatur.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

DETRAHUNTUR vel potius violenta rabie diripiuntur Iesu meo vestes suae. Ah! quanto cum dolore, dum etiam cutis una cum iisdem sanguine conglutinata dolorosissime avellitur. Exuitur vestibus, ut nudus moriatur. O quam bene, quam feliciter morerer, si veterem hominem cum actibus suis exutus decederem!

FIAT, mi Iesu! fiat, ut exuam veterem hominem et induam novum secundum cor et voluntatem tuam creatum. Et licet sensualitati meae amarum accidat, non tamen parcam cuti meae. Omnibus mundanis vanitatibus nudatus mori cupio, ut tecum vivam in aeternum.

Pater noster etc.

Iesu Christe, crucifixe, miserere mei.

XI. Statio.

Iesus cruci affigitur.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

IESUS vestibus spoliatus in cruce crudeliter extenditur et pedibus manibusque horrendis

clavis affigitur. O cruciatus! o dolor! et ipse silet, quia Patri caelesti sic placet; tolerat patienter, quia amore mei patitur. — O anima mea! quomodo tu te geris in afflictionibus tuis? quam impatienter, quam querulose suffers eas!

O PATIENTISSIME Iesu, agne mansuetissime! detestor et abominor omnem impatientiam meam. Eia Domine, crucifige carnem meam cum concupiscentiis et vitiis suis; hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas. Totum me proicio in manus tuas, tua sancta voluntas in omnibus fiat. Solam gratiam tuam mihi dona, et sufficit mihi.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

XII. Statio.

Iesus in cruce levatur et moritur.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.**

ASPICE Iesum in cruce pendentem, nudum et vulneribus abundantem; inspice plagas, quas amore tui recepit. Tota eius figura est typus amoris: caput inclinatum ad oscu-

landum te; brachia extensa ad amplectendum te; quot vulnera, tot pignora amoris Iesu tui amantissimi. O quantus est hic amor! Iesus moritur, ut peccator vivat et ab aeterna morte liberetur; sed eheu! hic amor, tantus cum sit, quam male rependitur.

AMANTISSIME Iesu! quis dabit mihi, ut amore tui moriar; fac me saltem mundi vanitatibus amore tui totaliter mori. O quam sordet mihi mundus, si te in cruce pendentem aspicio! suscipe me, o Iesu, in transfixum cor tuum. Totus sum tuus, nec vivere volo nec mori, nisi tibi.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

XIII. Statio.

Iesus de cruce deponitur.

℣. Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

NOLUIT Iesus de cruce vivus descendere, sed usque ad mortem in ea haerere. Cum autem mortuus deponeretur, voluit, uti vivus, sic et mortuus, in gremio virginali ss. Matris suae cubare. Esto et tu constans

in bonis propositis, nec de cruce tua descendas; qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Cogita simul, quanta puritate oporteat cor illud nitere, in quod corpus Iesu in ss. sacramento recipitur.

O IESU! deprecor te, ne permittas me de cruce tua avelli; in ea enim vivere cupio et mori. Crea in me, Deus, cor mundum, ut per s. communionem sacratissimum corpus tuum digne recipiam et in te maneam nec unquam a te valeam separari.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

XIV. Statio.

Sepultura Christi.

℣. **Adoramus te, Domine Iesu Christe, et benedicimus tibi.**

℟. **Quia per** s. **crucem tuam redemisti mundum.**

CORPUS Christi sepultum est in alieno monumento. Qui in cruce non habuit, ubi ss. caput suum reclinaret, nec proprium sepulchrum invenit in mundo, quia nempe non erat de hoc mundo. Tu qui tantum dependes ab hoc, numquid es de illo? sed fuge, contemne eum, ne cum ipso pereas.

O IESU! tu me elegisti de hoc mundo, quid mihi ergo cum illo? tu me creasti ad caelum, quid iam a te mihi volo super terram, in qua, pro dolor! multum incola fuit anima mea? Apage, o munde, cum vanitatibus tuis; in via crucis, quam Salvator meus suis sacris signavit vestigiis, incedam impiger et tendam ad patriam caelestem, ubi habitatio et requies mea sit in aeternum.

Pater noster etc.

Iesu Christe crucifixe, miserere mei.

Oblatio.

BENIGNISSIME Iesu! demisissimas gratias tibi ago pro infinita misericordia tua in hac via crucis mihi exhibita. En! offero tibi denuo exiguam devotionem meam in honorem amarissimae passionis et mortis tuae pro remissione peccatorum meorum et poenarum exinde mihi imminentium, pro suffragio et solacio animarum in purgatorio, praesertim pro qua (vel quibus) has indulgentias lucrari intendi. Denique supplex rogo, o Iesu, ne permittas ineffabile pretium sanguinis et mortis tuae gratis esse impensum et meam, quam redemisti, animam perire. Amen.





Sabbato.

Cultus beatae Mariae virginis.

Preces ad beatam Mariam virginem.

Oratio S. Athanasii.


VE gratia plena, Dominus tecum, audi, Maria, filia Davidis et Abrahae, et inclina aures tuas ad preces nostras et ne obliviscaris populi tui neque nostri, qui sumus de familia et de domo Patris tui. Ad te clamamus, recordare nostri, sanctissima Virgo, et retribue nobis pro exiguis istis magna dona ex divitiis gratiarum tuarum. Intercede, hera et domina et regina et mater Dei, pro nobis, quoniam ex nobis tu oriunda es, et is, qui editus est ex te, carniger Deus noster, quem decet gloria et magnificentia, omnisque honor et adoratio et gratiarum actio cum Patre initii experte et cum sancto bono vivifico Spiritu nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Ephraim.

O IMMACULATA virgo Maria, Dei sponsa, domina nostra, unica spes desperatorum, oppressorum subsidium et ad te currentium auxilium praesentissimum, meam sordissimam indignisque labiis expressam orationem admitte nec non tuum quidem Filium, meum autem Herum et Deum materna tua liberalitate volens, exora, ut mihi quoque mitissima illa suae pietatis viscera reseret et posthabitis innumerabilibus peccatis ad paenitentiam me convertat probeque sua complere mandata concedat. Adsis mihi semper, Virgo misericors, clemens et benigna, in praesenti quidem vita fervens protectrix et auxiliatrix, hostiles impetus repellens et me deducens ad salutem ac in supremo vitae momento miseram meam animam conservans et tenebrosos malorum daemonum aspectus ab ea procul abigens, in terribili autem die iudicii ab aeterna damnatione me liberans, postremo inaccessae tui Filii et Dei gloriae me heredem efficiens, quam per intercessionem favoremque tuum, domina mea sanctissima, Dei mater, te etiam atque etiam oro, assequi valeam gratia, miseratione et humilitate unigeniti Filii tui, Domini et Dei et

Salvatoris nostri Iesu Christi, cui convenit omnis gloria et honos et veneratio cum aeterno eius Patre et sanctissimo optimoque vitae auctore, Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Augustini.

O FELIX Maria et omni laude dignissima, o Virgo Dei genetrix gloriosa, o sublimis puerpera, cuius visceribus auctor caeli terraeque committitur, o beata Maria, quis tibi valeat iusta gratiarum et laudis praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito, quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio reciperandi vitam aditum invenisti? Accipe itaque quascumque exsiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis et reporta nobis gratiam reconciliationis. Impetra, quod rogamus, et excusa, quod timemus, quia nec potiorem meritis invenimus quam te ad placandam iram iudiciis, quae meruisti esse mater Redemptoris et Iudicis. Succurre ergo miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro

femineo sexu, sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super caelorum peregrinis, sint tibi studia assidue orare pro populo, quae meruisti benedicta ferre Redemptorem mundi, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Bernardi.

SALVE, regina misericordiae, domina mundi, regina caelorum, virgo virginum, sancta sanctorum, lumen caecorum, iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genetrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitatis, copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

Fac, o benedicta, per gratiam, quam in-

venisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat gloriae et beatitudinis suae Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia benedictus in saecula. Amen.

Caelicum Ave Maria.

Quod ori b. Mechtildis a Deo indictum fuit.

AVE ex omnipotentia Patris, ave ex sapientia Filii, ave ex dulcissima bonitate Spiritus sancti, Maria illuminans caelum et terram. Gratia plena, Dominus tecum unicus Dei Patris unigenitusque virginei cordis tui Filius, dulcissimus sponsus et amicus tuus. Benedicta tu in mulieribus, quae repulisti Evae maledictionem et reportasti aeternam benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui, Iesus Christus, Dominus et creator omnium, omnia benedicens et sanctificans, omnia ditans et vivificans. Amen.

Ave Maria aureum.

B. Mechtildi desideranti sublimissima salutatione b. Virginem salutare, apparuit eadem Virgo aureis litteris in corde suo gerens scrip-

tam salutationem angelicam dicens: Hanc salutationem nulla transcendit, nec umquam aliquis me dulcius salutare potuit, quam qui me salutat in illa reverentia, qua Deus Pater me salutavit, ut sequitur:

VE Maria in illa reverentia, qua Deus Pater per Ave te salutavit suaque omnipotentia ab omni vae culpae liberavit. Ave Maria in illo amore, quo Filius Dei sua sapientia te illuminavit, clarissimumque sidus, illuminans caelum et terram, effecit. Ave Maria in illa dulcedine Spiritus sancti, qua te totam penetravit adeoque gratiosam effecit, quod omnis, qui per te gratiam quaerit, eam inveniat. Admoneo te illius operationis, quam tota beatissima Trinitas in te operata est, cum carnis tuae substantiam cum natura divina in una persona adunaret, ita ut Deus fieret homo et homo Deus, ex quo quantam in illa hora dulcedinem et laetitiam conceperis, nullus homo plene valet experiri. Ideoque omnis creatura cum admiratione agnoscit et confitetur te benedictam et superexaltatam super omnes caelicas atque terrenas creaturas: et benedictum fructum ventris tui Iesum, qui omnia vivificat, sanctificat et benedicit in saecula. Amen.

S. Casimiri hymnus de b. Maria virgine.

MNI die dic Mariae * Mea laudes anima, * Eius festa, eius gesta * Cole devotissima.

Contemplare et mirare * Eius celsitudinem, * Dic felicem Genetricem, * Dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole * Criminum te liberet, * Hanc appella, ne procella * Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona * Contulit caelestia; * Haec regina nos divina, * Illustravit gratia.

Lingua mea, dic tropaea * Virginis puerperae, * Quae inflictum maledictum * Miro transfert germine.

Sine fine dic reginae * Mundi laudum cantica; * Eius bona semper sona, * Semper illa praedica.

Omnes mei sensus, ei * Personate gloriam, * Frequentate tam beatae * Virginis memoriam.

Nullus certo tam disertae * Extat eloquentiae, * Qui condignos promat hymnos * Eius excellentiae.

Omnes laudent, unde gaudent, * Matrem

Dei virginem. * Nullus fingat, quod attingat Eius celsitudinem.

Sed necesse (quod prodesse * Piis constat mentibus), * Ut intendam, quod impendam * Me ipsius laudibus.

Quamvis sciam, quod Mariam * Nemo digne praedicet, * Tamen vanus et insanus * Est, qui eam reticet.

Cuius vita erudita * Disciplina caelica, * Argumenta et figmenta * Destruxit haeretica.

Huius mores tamquam flores * Exornant ecclesiam, * Actiones et sermones * Miram praestant gratiam.

Evae crimen nobis limen * Paradisi clauserat, * Haec, dum credit et oboedit, * Caeli claustra reserat.

Propter Evam homo saevam * Accepit sententiam; * Per Mariam habet viam, * Quae ducit ad patriam.

Haec amanda et laudanda * Cunctis specialiter * Venerari, praedicari * Eam decet iugiter.

Ipsa donet, ut, quod monet * Eius natus, faciam, * Ut finita carnis vita * Laetus hunc aspiciam.

O cunctarum feminarum * Decus atque gloria! * Quam electam et evectam * Scimus super omnia.

Clemens audi tuae laudi, * Quos instantes conspicis: * Munda reos et fac eos * Donis dignos caelicis.

Virga Iesse, spes oppressae * Mentis et refugium, * Decus mundi, lux profundi, * Domini sacrarium.

Vitae forma, morum norma, * Plenitudo gratiae; * Dei templum et exemplum * Totius iustitiae.

Virgo salve, per quam valvae * Caeli patent miseris; * Quam non flexit nec allexit * Fraus serpentis veteris.

Generosa et formosa * David regis filia, * Quam elegit rex, qui regit * Et creavit omnia.

Gemma decens, rosa recens * Castitatis, lilium, * Castum chorum ad polorum * Quae perducis gaudium.

Actionis et sermonis * Facultatem tribue, * Ut tuorum meritorum * Laudes promam strenue.

Opto nimis, ut imprimis * Des mihi memoriam, * Ut decenter et frequenter * Tuam cantem gloriam.

Quamvis muta et polluta * Mea sciam labia, * Praesumendum nec silendum * Est de tua gloria.

Virgo gaude, omni laude * Digna et

praeconio, * Quae damnatis libertatis * Facta es occasio.

Semper munda et fecunda * Virgo tu puerpera, * Mater alma, velut palma * Florens et fructifera.

Eius flore et odore * Recreari cupimus, * Cuius fructu nos a luctu * Liberari credimus.

Pulchra tota, sine nota * Cuiuscumque maculae. * Fac nos mundos et iucundos * Te laudare sedule.

O beata, per quam data * Nova mundo gaudia, * Et aperta, fide certa, * Regna sunt caelestia.

Per te mundus laetabundus * Novo fulget lumine, * Antiquarum tenebrarum * Exutus caligine.

Nunc potentes sunt egentes, * Sicut olim dixeras, * Et egeni fiunt pleni, * Ut tu prophetaveras.

Per te morum nunc pravorum * Delinquuntur devia, * Doctrinarum perversarum * Pulsa sunt praestigia.

Mundi luxus atque fluxus * Docuisti spernere; * Deum quaeri, carnem teri, * Vitiis resistere.

Mentis cursum, tendi sursum * Pietatis studio, * Corpus angi, motus frangi * Pro caelesti praemio.

Tu portasti inter casti * Ventris claustra Dominum * Redemptorem, ad honorem * Nos reformans pristinum.

Mater facta, sed intacta * Genuisti filium, * Regem regum, atque regum * Creatorem omnium.

Benedicta, per quam victa * Mortis est versutia, * Destitutis spe salutis * Datur indulgentia.

Benedictus rex invictus, * Cuius mater crederis, * Qui creatus ex te natus * Nostri salus generis.

Reparatrix, consolatrix * Desperantis animae * A pressura, quae ventura * Malis est, nos redime.

Pro me pete, ut quiete * Sempiterna perfruar, * Ne tormentis comburentis * Stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspiro, * Mea sana vulnera, * Et da menti te poscenti * Gratiarum munera.

Ut sim castus et modestus, * Dulcis, blandus, sobrius, * Pius, rectus, circumspectus, * Simultatis nescius.

Eruditus et munitus * Divinis eloquiis, * Timoratus et ornatus * Sacris exercitiis.

Constans, gravis et suavis, * Benignus,

amabilis, * Simplex, purus et maturus, * Patiens et humilis.

Corde prudens, ore studens * Veritatem dicere, * Malum nolens, Deum colens * Pio semper opere.

Esto tutrix et adiutrix * Christiani populi. * Pacem praesta, nec molesta * Nos perturbent saeculi.

Salutaris stella maris, * Summis digna laudibus, * Quae praecellis cunctis stellis * Atque luminaribus.

Tua dulci prece fulci * Supplices et refove, * Quidquid gravat vel depravat * Mentes nostras, remove.

Virgo, gaude, quod de fraude * Daemonum nos liberas, * Dum in vera et sincera * Deum carne generas.

Illibata et dotata * Caelesti progenie, * Gravidata, nec privata * Flore pudicitiae.

Nam quod eras, perseveras, * Dum intacta generas, * Illum tractans atque lactans, * Per quem facta fueras.

Commendare me dignare * Christo, tuo filio, * Ut non cadam, sed evadam * De mundi naufragio.

Fac me mitem, pelle litem, * Compesce lasciviam. * Contra crimen da munimen * Et mentis constantiam.

Non me liget, nec fatiget * Saeculi cupiditas, * Quae indurat et obscurat * Mentes sibi subditas.

Numquam ira, numquam dira * Me vincat elatio, * Quae multorum fit malorum * Frequenter occasio.

Ora Deum, ut cor meum * Sua servet gratia, * Ne antiquus inimicus * Seminet zizania.

Da levamen et iuvamen * Tuum illis iugiter, * Tua festa sive gesta * Qui colunt alacriter.

Oratio aurea de B. virgine Maria.

AVE rosa sine spinis, * Te quam Pater in divinis * Maiestate sublimavit * Et ab omni vae servavit.

Maria, stella dicta maris, * Tu a Nato illustraris * Luce clara deitatis, * Qua praefulges cunctis datis.

Gratia plena te perfecit, * Spiritus sanctus dum te fecit; * Vas divinae bonitatis * Et totius pietatis.

Dominus tecum miro pacto * Verbo in te carne facto * Opere trini Conditoris, * O quam dulce vas amoris.

Benedicta tu in mulieribus; * Hoc testatur omnis tribus; * Caeli dicunt te beatam * Super omnes exaltatam.

Et benedictus fructus ventris tui, * Quo nos semper dona frui * Per praegustum hic aeternum * Et post mortem in aeternum. Amen.

Aspirationes sacrae ad cor sanctissimum Mariae.

COR Mariae, cordi Iesu simillimum, fac cor meum secundum cor Iesu. Cor Mariae, amore Iesu ardentissimum, amore illo, quo ardes, incende cor meum. Cor Mariae immaculatum, cordis mei maculas absterge eique puritatem tuam infunde. O cor dulcissimum matris meae, esto refugium meum in die tribulationis et in hora mortis meae. Dulce cor Mariae, esto salus mea.

Antiphona. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.

℣. Benedictum sit in aeternum Christi cor sanctissimum.

℟. Et laudabile etiam cor Mariae.

Oremus.

CLEMENTISSIME Deus, qui ad miserorum omnium salutem et totius mundi refugium immaculatum et sanctissimum cor Mariae divinissimo cordi Filii sui caritate et misericordia simillimum esse voluisti, concede, ut, qui suavissimi huius et vere materni cordis memoriam agimus, eius intercessione et meritis secundum cor tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Hymnus ad SS. cor Mariae.

COR matris ardentissimum, * Iucunda spes mortalium, * Pars nostra, vita, gaudium, * Dulcedo, lnx solacium!

Sidus micans amantium * Sol esto duxque mentium, * Fornax amoris, omnium * Accende flammas cordium.

Per cor Matris purissimum, * Templum Dei dignissimum, * Iesu tibi sit gloria * In sempiterna saecula. Amen.



Oratio
ad sacratissimum cor Mariae.



COR Mariae, matris Dei et matris nostrae; cor amabilissimum, in quo sibi complacuit adoranda Trinitas; cor dignum omni veneratione et tenerrimo amore angelorum et hominum; cor supra omne aliud simile cordi Iesu, cuius es perfectissima imago; cor plenum bonitate et tantopere ccmpatiens nostris miseriis, dignare resolvere glaciem cordium nostrorum; fac, ut sint prorsus conversa ad cor divini Salvatoris. Infunde ipsis amorem tuarum virtutum; inflamma ipsa sacro illo igne, quo continuo arsisti. Conclude intra te sanctam ecclesiam; custodi illam. Sis semper dulce eius asylum eiusque turris inexpugnabilis contra omnium hostium incursus. Sis nobis via, qua tendamus ad Iesum, et canalis, quo recipiamus omnes gratias nobis ad salutem necessarias. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in afflictionibus solacium, in tentationibus propugnaculum, in persecutionibus refugium, in omni periculo adiutorium, sed specialiter in ultimo vitae nostrae certamine, in hora mortis, quando infernus totus in-

surget contra nos ad rapiendas animas nostras; in tremendo hoc momento, a quo dependet aeterna nostra salus. Tunc, ah tunc, Virgo piissima, fac nos sentire teneritudinem materni tui cordis et magnitudinem potentiae tuae in cor Iesu, aperiendo nobis in ipso misericordiae fonte tutum refugium, ut possimus pervenire ad illum tecum in paradiso laudandum per omnia saecula saeculorum. Amen.

LAUS cordi Iesu et Mariae. Cognitum, laudatum, benedictum, amatum, obsequio honoratum et glorificatum semper et ubique sit divinissimum cor Iesu et purissimum cor Mariae. Amen.

Oratio aurea die Sabbati.

PIETATE tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum et intercedente beata semperque virgine Dei genetrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis coniunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tri-

bue; hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris caritatem largire, urbem tuam custodi, pontificem nostrum N. conserva, omnes praelatos, principes cunctumque populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum.

Indulg. 40 dier. tot. quotiens recitatur, 100 ann. et 100 quadrag. si recitatur omni sabbato cuiusvis mensis.

Professio obsequii nostri erga b. v. Mariam.

SANCTISSIMA Virgo, dignissima Mater Dei! Ego licet undequaque indignissimus, ut accensear numero servorum ac filiorum tuorum, fretus tamen bonitate ac misericordia tua ac impulsus tibi serviendi desiderio profiteor in praesentia Dei et curiae caelestis universae, quod te hodie eligam in reginam meam, matrem meam, advocatam meam, firmiterque statuo ac propono, me numquam te derelicturum aut dicturum, quidquam contra tuum honorem neque permis-

surum, ut meis subditis aliquid contra tuum honorem umquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in numerum servorum et filiorum tuorum; adsis mihi, quaeso, in omnibus actionibus et necessitatibus meis, nec me deseras in hora mortis meae. Amen.



Litaniae Lauretanae.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria, ora pro nobis,
Sancta Dei Genetrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Ianua caeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,

Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium.
Regina sine labe originali concepta,
Regina sanctissimi Rosarii.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eileison. Kyrie eleison. Ave Maria etc.

SUB tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

GRATIAM tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Ora pro nobis, beate Ioseph.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SANCTISSIMAE Genetricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adiuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Salve Regina.

SALVE Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exsules, filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos con-

verte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genetrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da, ut cuius commemoratione laetamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liheremur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.



V Psalmi s. Bonaventurae de b. Maria virgine.

Suffragium.



SUB tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris sed a

periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Oratio.

BEATAE et gloriosae semperque virginis Mariae, quaesumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Psalmus I.

MAGNA es, Domina, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri * et in universa ecclesia electorum eius.

Misericordia tua et gratia tua ubique praedicatur, * Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Miserere nostri, Domina, et sana infirmitatem nostram; * tolle dolorem et angustiam cordis nostri.

Mitte angelum bonum in occursum nostrum, * per quem ab hostibus defendamur.

Miserere nostri in die angustiae nostrae * et in veritate tua irradia nos.

Miserere nostri, Domina, miserere nostri: * quoniam tu es spes et lux omnium sperantium in te.

Memento nostri, perditorum Salvatrix; * exaudi planctus et suspiria nostra.

Miserere nostri, Domina et ora pro nobis; * in laetitiam bonam verte maestitiam nostram.

Miserere servorum tuorum, Domina, * et ne sinas eos angustiari in tentationibus suis.

Miserere nostri, Regina gloriae et honoris, * et de omni periculo custodi vitam nostram.

Miserere nostri, Mater Salvatoris, * praesta consolationem in tribulatione nostra.

Medere contritis corde, Domina salutis, * et refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri etc.

Psalmus II.

AD te, Domina, clamabo et exaudies me, * in voce laudis tuae laetificabis me.

Ad te clamavi, cum anxiaretur cor meum, * et exaudisti me de monte sancto tuo.

Amplectamur Mariae vestigia, peccatores, * et beatis pedibus eius provolvamur.

Accedite ad eam cum reverentia et devotione; * et delectetur cor vestrum in salutatione illius.

Accedite ad eam in tribulationibus vestris, * et stabiliet vos serenitas vultus illius.

A rugientibus praeparatis ad escam, *

de manibus quaerentium nos liberati sumus gratia illius.

Attendite populi mei praecepta Dei, * et Reginae caeli nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandam eam, * labia ad glorificandam illam.

Accendatur affectus cordis in illam, * et inimicos nostros induet confusione.

Abstulit a corde maestitiam et maerorem * et suavitate sua cor nostrum dulcoravit.

Adorate illam in decore illius; * glorificate opificem pulchritudinis eius.

Adiutorio suo sancto evasimus pericula mortis * et de saeva peste liberati sumus.

Gloria Patri etc.

Psalmus III.

REFUGIUM tu es, Domina, in tribulatione nostra, * et virtus potentior conterens inimicum.

Religiosi omnes honorate illam, * quia ipsa est adiutrix vestra et spiritualis advocata.

Recurramus ad eam in tribulatione nostra, * et eripiet nos de periculis nostris.

Recordare, Domina, ut loquaris pro nobis bonum * et indignationem Filii tui avertas a nobis.

Respice miseriam nostram, gloriosa Virgo; * angustiam et tribulationem ne tardes removere.

Recordare, Domina, pauperum et miserorum * et sustenta eos ope refugii sancti tui.

Recordare nostri, Domina, ut non apprehendant nos mala; * succurre nobis in fine, et inveniemus vitam aeternam.

Resperge cor nostrum dulcedine tua; * fac nos oblivisci angustias huius vitae.

Respice, Domina, humilitatem servorum tuorum, * et ne sinas eos periculis subiacere.

Reple nos servos tuos virtutibus sanctis, * et ira Dei non appropinquet nobis.

Respice, Domina, humilitatem cordis nostri * et libera nos de afflictione pessima.

Reminiscere miserationum tuarum, Domina, * et releva peregrinationem incolatus nostri.

Gloria Patri etc.

Psalmus IV.

IN te, Domina, confido * propter multitudinem misericordiae nominis tui.

Iudica me, Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum * sed, quia in te speravi, non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus et ani-

mam meam, * totam vitam meam et diem ultimum meum.

Influe nobis radios tuae pietatis, * et clarifica nos fulgoribus misericordiae tuae.

Innova signa et immuta mirabilia, * ut sentiamus adiutorium brachii tui.

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei, * quia angelorum et hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis * et unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo, * et voces gementium ne despexeris.

In manu tua, Domina, salus et vita consistunt, * laetitia sempiterna et aeternitas gloriosa.

Inveniant, quaeso, gratiam apud Deum, * qui te in suis necessitatibus invocabunt.

In periculis et rebus dubiis iuva * et in necessitatibus cunctis fac, ut inveniant adiutorium dulce.

Ipsa enim mederis contritis corde * et refoves unguento pietatis.

Gloria Patri etc.

Psalmus V.

AD Mariam, cum tribularer, clamavi, * et clementia sua exaudivit me.

Ad te, Domina, levavi animam meam in iudicio Dei mei * et precibus tuis non erubescam.

Ave gratia plena, Deus tecum, * per quam salus mundi restauratur.

Ascendisti alternantibus hymnidicis angelorum choris, * archangelorum constipata rosis et liliis coronata.

Ablue, Domina, omnia peccata nostra, * sana omnes infirmitates nostras.

Aufer a nobis tribulationem nostram * et dulcifica omnem dolorem nostrum.

Avertatur a nobis ira Dei per te; * placa eum meritis et precibus tuis.

Aperiantur nobis per te portae iustitiae, * ut enarremus omnia mirabilia tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis, * ut per te liberemur de angustiis nostris.

Adiutorium nostrum in virtute sit nominis tui; * per te omnia opera nostra dirigantur.

Ab omni perturbatione libera servos tuos * et fac eos vivere sub pace et protectione tua.

Adorent te familiae gentium, * glorificent te omnes ordines angelorum.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Pater noster etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEFENDE, quaesumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab omni infirmitate et peste et ab omnibus tuere clementer periculis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

PIETATE tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata Maria cum omnibus sanctis nos famulos tuos, benefactores atque loca

nostra in omni sanctitate custodi omnesque consanguinitate, affinitate atque familiaritate nobis coniunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aërem salubrem et fertilitatem indulge; amicis et inimicis nostris caritatem largire atque urbem istam cum omnibus in ea habitantibus ab omni peste infideliumque feritate et potentia illaesam conserva; et omnibus fidelibus vivis et defunctis in terra viventium vitam et requiem aeternam concede; et pontificem nostrum N., antistitem nostrum N., omnes praelatos, imperatorem nostrum regem nostrum N. cunctumque populum Christianum ab omni adversitate custodi et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.





Annus sacer.



Appariut humanitas Salvatoris nostri Dei, ut salvos faceret nos. Tit. 3,4.



Festa Domini.

Dominica I. adventus.



ECCE, nomen Domini venit de longinquo et claritas eius replet orbem terrarum.

Hymnus S. Ambrosii.

VERBUM supernum prodiens. * A Patre olim exiens, * Qui natus orbi subvenis * Cursu declivi temporis.

Illumina nunc pectora, * Tuoque amore concrema, * Audito ut praeconio * Sint pulsa tandem lubrica.

Iudexque cum post aderis, * Rimari facta pectoris, * Reddens vicem pro abditis, * Iustisque regnum pro bonis.

Non demum artemur malis, * Pro qualitate criminis; * Sed cum beatis compotes * Simus perennes caelibes.

Laus, honor, virtus gloria, * Deo Patri et Filio, * Sancto simul Paraclito * In saeculorum saecula. Amen.

℣. Rorate, caeli, desuper, et nubes pluant iustum.

℟. Aperiatur terra et germinet Salvatorem.

Oratio. Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari, qui vivis etc.

Dom. II. adventus.

VENI, Domine, visitare nos in pace, ut laetemur coram te corde perfecto.

Hymn. ℣. et ℟. usque ad IV. dom. ut supra pag. 347.

Oratio. Excita, Domine, corda nostra ad praeparandas Unigeniti tui vias, ut per eius adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur, qui tecum vivit etc.

Dom. III. adventus.

ANTE me non est formatus Deus et post me non erit: quia mihi curvabitur omne genu et confitebitur omnis lingua.

Hymn. ℣. et ℟. vide supra pag. 347.

Oratio. **Aurem tuam, quaesumus Domine, precibus nostris accomoda et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra, qui vivis** etc.

Dom. IV. adventus.

Antiphona una ex maioribus: ℗ ut infra.

Hymn. ℣. et ℟. vide supra pag. 347.

Oratio. **Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret, qui vivis** etc.

Septem antiphonae O seu maiores.

Hae antiphonae incohantur die 17. Decembris et dicuntur per ordinem usque ad vigiliam nativitatis exclusive.

Die 17. Dec.

 SAPIENTIA, quae ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter suaviterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiae.

Die 18. Dec.

O ADONAI, et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammae rubi apparuisti, et ei in Sinai legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

Die 19 Dec.

O RADIX Iesse, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, iam noli tardare.

Die 20. Dec.

O CLAVIS David et sceptrum domus Israel, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit; veni, et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis.

Die 21. Dec.

O ORIENS, splendor lucis aeternae et sol iustitiae; veni, et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis.

Die 22. Dec.

O REX gentium et desideratus earum lapisque angularis, qui facis utraque unum; veniet salva hominem, quem de limo formasti.

Die 23. Dec.

O EMMANUEL, Rex et legifer noster, exspectator gentium et Salvator earum; veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.

In vigilia nativitatis Domini.

Ant. et Hymn. dicuntur de dom. IV. advent. pag. 349.

℣. Hodie scietis, quia veniet Dominus.
℟. Et mane videbitis gloriam eius.

Oratio. Deus, qui nos redemptionis nostrae annua exspectatione laetificas, praesta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit etc.





In nativitate Domini.



UM ortus fuerit sol de caelo, videbitis Regem regum procedentem a Patre, tamquam sponsum de thalamo suo.

Hymnus S. Ambrosii.

CHRISTE Redemptor omnium * Ex Patre Patris Unice, * Solus ante principium, * Natus ineffabiliter.

Tu lumen, tu splendor Patris, * Tu spes perennis omnium, * Intende, quas fundunt preces * Tui per orbem famuli.

Memento salutis Auctor, * Quod nostri quondam corporis, * Ex illibata Virgine * Nascendo formam sumpseris.

Sic praesens testatur dies, * Currens per anni circulum, * Quod solus a sede Patris * Mundi salus adveneris.

Hunc caelum, terra, hunc mare, * Hunc omne, quod in eis est, * Auctorem adventus tui * Laudans, exsultat cantico.

Nos quoque, qui sancto tuo * Redempti sanguine sumus, * Ob diem natalis tui * Hymnum novum concinimus.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu, * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Verbum caro factum est. Alleluia.

℟. Et habitavit in nobis. Alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet. Per eundem Dominum etc.

Ad finem anni civilis.

Hymnus SS. Augustini et Ambrosii.

TE Deum laudamus, * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli * tibi caeli et universae potestates.

Tibi cherubim et seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus * Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra * maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * apostolorum chorus.
Te prophetarum * laudabilis numerus.
Te martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum * sancta confitetur ecclesia.
Patrem * immensae maiestatis.
Venerandum tuum verum * et unicum filium.
Sanctum quoque * paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriae * Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo * aperuisti credentibus regna caelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris.
Iudex crederis * esse venturus.

Hic genuflectitur.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic hereditati tuae.
Et rege eos * et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum * et in saeculum saeculi.
Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos * quemadmodum speravimus in te.
In te Domine, speravi * non confundar in aeternum.
℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.
℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

DEUS, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis in gratiarum actionem.


AUDO, glorifico, benedico te, Deus meus, propter immensa indigno mihi

praestita beneficia. Laudo clementiam tuam me diu exspectantem, dulcedinem tuam ulcisci simulantem, pietatem tuam vocantem, benignitatem suscipientem, misericordiam peccata remittentem, bonitatem supra merita impendentem, patientiam iniuriae non recordantem, humilitatem consolantem, patientiam protegentem aeternitatem conservantem, veritatem remunerantem. Quid dicam, Deus meus, de tua ineffabili largitate? Tu enim vocas fugientem, suscipis revertentem, adiuvas titubantem, laetificas desperantem, stimulas neglegentem, armas pugnantem, coronas triumphantem, peccatorem post paenitentiam non spernis et iniuriae non memineris, a multis liberas periculis, ad paenitentiam cor emollis, terres suppliciis, allicis promissis, castigas flagellis, angelico ministerio custodis, ministras temporalia, reservas nobis aeterna, hortaris dignitate creationis, invitas clementia redemptionis, promittis praemia remunerationis, pro quibus omnibus laudes referre non sufficio. Maiestati tuae gratias ago propter immensae bonitatis tuae abundantiam, ut semper in me gratiam multiplices et multiplicatam conserves et conservatam remuneres. Amen.

Ad initium anni civilis.

Benedictio pro felici novi anni auspicio.

BENEDICTIO Dei omnipotentis, Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ sancti, sit mecum et maneat mecum toto hoc anno et semper. Benedictio sanctissimae incarnationis, nativitatis, circumcisionis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini Iesu Christi custodiat et protegat me hoc anno et semper. Benedictio sanctissimi nominis Iesu, quod hodierno die in circumcisione accepit, protectio sanctae ✠ crucis et immaculatae virginis Mariae intercessio, custodia sanctorum angelorum et suffragia omnium electorum Dei sint pro me contra omnes inimicos meos visibiles et invisibiles. O dulcis ac misericors Domine Iesu Christe, qui me creasti ad imaginem tuam et me tuo sanguine redemisti, tibi commendo hoc anno et omni tempore vitae meae animam et corpus meum, cogitationes, verba, opera mea omniaque, quae a tua bonitate habeo, in manus misericordiae tuae, ut ea custodias et conserves omniaque ad sanctissimi nominis tui gloriam et animae meae salutem dirigas. Rege me ita hoc anno, ut omnia

ad gloriam tuam et in nomine tuo faciam, quidquid fecero. Et si tibi placuerit hoc anno, ex hac valle miseriarum ad aliam vitam me transferre, concede mihi, obsecro, ut in tua gratia moriar, et animam meam in sanctorum patriam misericorditer recipere digneris. Id impetret mihi a clementia tua sancta virgo Maria mater tua, domina et advocata mea. Amen.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius. Alleluia.

Hymnus S. Bernardi Claraevall.

Iesu, dulcis memoria vide supra pag. 261.

℣. Sit nomen Domini benedictum. Alleluia.

℟. Ex hoc, nunc et usque in saeculum. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem et Iesum vocari voluisti; concede propitius, ut, cuius sanctum nomen veneramur in terris, eius quoque aspectu perfruamur in caelis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum etc.



In circumcisione Domini.

Die 1. Januarii.

ROPTER nimiam caritatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Alleluia.

Hymnus Caelii Sedulii.

A SOLIS ortus cardine * Ad usque terrae limitem * Christum canamus principem, * Natum Maria virgine.

Beatus auctor saeculi * Servile corpus induit * Ut carne carnem liberans * Ne perderet, quos condidit.

Castae parentis viscera * Caelestis intrat gratia; * Venter puellae baiulat * Secreta, quae non noverat.

Domus pudici pectoris * Templum repente fit Dei, * Intacta nesciens virum * Concepit alvo Filium.

Enititur puerpera, * Quem Gabriel praedixerat, * Quem ventre matris gestiens * Baptista clausum senserat.

Faeno iacere pertulit, * Praesepe non abhorruit * Parvoque lacte pastus est, * Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus caelestium, * Et angeli canunt Deo, * Palamque fit pastoribus * Pastor, creator omnium.

Iesu, tibi sit gloria, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et almo Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Notum fecit Dominus. Alleluia.

℟. Salutare suum. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate fecunda humano generi praemia praestitisti, tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc.



In epiphania Domini.

Die 6. Ianuarii.

TRIBUS miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella magos duxit ad praesepium, hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias, hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos. Alleluia.

Hymnus Caelii Sedulii.

HOSTIS Herodes impie * Christum venire quid times? * Non eripit mortalia, * Qui regna dat caelestia.

Ibant magi, quam viderant * Stellam sequentes praeviam, * Lumen requirunt lumine, * Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis * Caelestis agnus attigit, * Peccata, quae non detulit, * Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae, * Aquae rubescunt hydriae, * Vinumque iussa fundere, * Mutavit unda originem.

Gloria tibi, Domine, * Qui apparuisti hodie, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Reges Tharsis, et insulae munera offerent. Alleluia.

℟. Reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut, qui iam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsi-

tudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum etc.

Dom. infra octavam epiphaniae.

REMANSIT puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius, existimantes illum esse in comitatu; et requirebant eum inter cognatos et notos.

Hymnus Aurelii Prudentii.

O SOLA magnarum urbium * Maior Bethlehem, cui contigit * Ducem salutis caelitus * Incorporatum gignere.

Quem stella, quae solis rotam * Vincit decore ac lumine, * Venisse terris nuntiat * Cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum magi, * Eoa promunt munera, * Stratique votis offerunt * Thus, myrrham et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant * Thesaurus et fragrans odor * Thuris Sabaei ac myrrheus * Pulvis sepulcrum praedocet.

Gloria tibi, Domine, * Qui apparuisti hodie, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Omnes de Saba venient. Alleluia.

℟. Aurum et thus deferentes. Alleluia.

Dom. II. post epiphaniam.

Hodie etiam festum ss. nominis Iesu celebratur. Ora precationes in feria tertia supra pag. 221 et Litanias sequ.

DEFICIENTE vino iussit Iesus impleri hydrias aqua, quae in vinum conversa est. Alleluia.

Sequens hymnus cum suo ℣ et ℟ dicitur a dom. II. post epiphan. usque ad dominicam I. quadragesimae.

Hymnus s. Gregorii M.

PRIMO dierum omnium, * Quo mundus exstat conditus, * Vel quo resurgens Conditor * Nos morte victa liberat.

Pulsis procul torporibus * Surgamus omnes ocius, * Et nocte quaeramus pium * Sicut prophetam novimus.

Nostras preces ut audiat, * Suamque dextram porrigat, * Et expiatos sordibus * Reddat polorum sedibus.

Ut quique sacratissimo * Huius diei tempore * Horis quietis psallimus, * Donis beatis muneret.

Iam nunc paterna claritas, * Te postu-

lamus affatim, * Absit libido sordidans * Et omnis actus noxius.

Ne foeda sit vel lubrica * Compago nostri corporis, * Per quam averni ignibus * Ipsi crememur acrius.

Ob hoc, Redemptor, quaesumus, * Ut probra nostra diluas, * Vitae perennis commoda * Nobis benigne conferas.

Quo carnis actu exsules, * Effecti ipsi caelibes, * Ut praestolamur cernui, * Melos canamus gloriae.

Praesta, Pater piissime, * Patrique compar Unice, * Cum Spiritu paraclito, * Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui caelestia simul et terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum nostrum etc.



Litaniae ss. Nominis Iesu.

YRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Iesu, audi nos,
Iesu, exaudi nos,
Pater de caelis Deus,
miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Iesu, Fili Dei vivi,
Iesu, splendor Patris,
Iesu, candor lucis aeternae,
Iesu, Rex gloriae,
Iesu, sol iustitiae,
Iesu, Fili Mariae virginis,
Iesu, amabilis,
Iesu, admirabilis,
Iesu, Deus fortis,
Iesu, Pater futuri saeculi,
Iesu, magni consilii angele,
Iesu, potentissime,
Iesu, patientissime,
Iesu, oboedientissime,
Iesu, mitis et humilis corde,
Iesu, amator castitatis,
Iesu, amator noster,
Iesu, Deus pacis,
Iesu, auctor vitae,
Iesu, exemplar virtutum,
Iesu, zelator animarum,
Iesu, Deus noster,
Iesu, refugium nostrum,
Iesu, pater pauperum,
Iesu, thesaurus fidelium,
Iesu, bone pastor,
Iesu, lux vera,
Iesu, sapientia aeterna,
Iesu, bonitas infinita,

Iesu, via et vita nostra,
Iesu, gaudium angelorum,
Iesu, rex patriarcharum,
Iesu, magister apostolorum,
Iesu, doctor evangelistarum,
Iesu, fortitudo martyrum,
Iesu, lumen confessorum,
Iesu, puritas virginum,
Iesu, corona sanctorum omnium.
Propitius esto, parce nobis, Iesu.
Propitius esto, exaudi nos, Iesu.
Ab omni malo, libera nos, Iesu.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Iesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Iesu.

Iesu, audi nos. Iesu, exaudi nos.

Oremus.

DOMINE Iesu Christe, qui dixisti: petite et accipietis; quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus et a tua numquam laude cessemus.

SANCTI nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

(Indulgent. 300 dier.)



Dominica III. post epiphaniam.

DOMINE, si vis, potes me mundare; et ait Iesus: Volo; mundare.

Oratio. Omnipotens, sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice atque ad protegendum nos dexteram tuae maiestatis extende. Per Dominum nostrum etc.

Dominica IV. post epiphaniam.

DOMINE, salva nos, perimus; impera et fac, Deus, tranquillitatem.

Oratio. Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere; da, quaesumus, salutem mentis et corporis, ut ea, quae pro peccatis nostris patimur, te adiuvante vincamus. Per Dominum nostrum etc.

Dom. V. post epiphaniam.

COLLIGITE primum zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum, dicit Dominus.

Oratio. Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi, ut, quae in sola spe gratiae caelestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum nostrum etc.

Dom. VI. post epiphaniam.

SIMILE est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exsequamur et factis. Per Dominum nostrum etc.

Dominica septuagesimae.

SIMILE est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, dicit Dominus.

Oratio. Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi; ut, qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per. Dominum etc.

Dominica sexagesimae.

VOBIS datum est nosse mysteria regni Dei, ceteris autem in parabolis, dixit Iesus discipulis suis.

Oratio. Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus, concede propitius, ut contra adversa omnia doctoris gentium protectione muniamur. Per Dominum etc.

Dominica quinquagesimae.

ECCE! ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt de Filio hominis: tradetur enim gentibus et illudetur et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum et tertia die resurget.

Oratio. Preces nostras, quaesumus, Domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absolutos ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum etc.

Feria quarta cinerum.

Oratio. Praesta, Domine, fidelibus tuis, ut ieiuniorum veneranda sollemnia et congrua pietate suscipiant et secura devotione percurrant. Per Dominum etc.



Dom. I. quadragesimae.

CCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; in his ergo diebus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in vigiliis, in caritate non ficta.

Sequens hymnus cum ℣. et ℟. dicitur a dom. I. quadragesimae usque ad dom. passionis.

Hymnus S. Gregorii M.

AUDI, benigne Conditor, * Nostras preces cum fletibus * In hoc sacro ieiunio * Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium, * Infirma tu scis virium, * Ad te reversis exhibe * Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus, * Sed parce confitentibus, * Ad nominis laudem tui * Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri * Dona per abstinentiam, * Ieiunet ut mens sobria * A labe prorsus criminum.

Praesta, beata Trinitas, * Concede, simplex Unitas, * Ut fructuosa sint tuis * Ieiuniorum munera. Amen.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oratio.

DEUS, qui ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas, praesta familiae tuae, ut, quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exsequatur. Per Dominum nostrum etc.

Dom. II. quadragesimae.

VISIONEM, quam vidistis, nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat Filius hominis.

Oratio. Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum etc.

Dom. III. quadragesimae.

CUM fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet.

Oratio. Quaesumus, omnipotens Deus, vota humilium respice atque ad defensionem nostram dexteram tuae maiestatis extende. Per Dominum etc.

Dom. IV. quadragesimae.

CUM sublevasset oculos Iesus et vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.

Oratio. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui ex merito nostrae actionis affligimur, tuae gratiae consolatione respiremus. Per Dominum etc.

Dominica passionis.

EGO sum, qui testimonium perhibeo de meipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

Sequens hymnus cum suo V. et R. dicitur hac et sequenti dom. palmarum.

Hymnus Venantii Fortunati.

VEXILLA Regis prodeunt, * Fulget crucis mysterium, * Quo carne carnis Conditor * Suspensus est patibulo.

Quo vulneratus insuper * Mucrone diro lanceae * Ut nos lavaret crimine, * Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit * David fideli carmine, * Dicens: In nationibus * Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida, * Ornata Regis purpura, * Electa digno stipite * Tam sancta membra tangere.

Beata, cuius brachiis * Saecli pependit pretium * Statera facta corporis * Praedamque tulit tartari.

O crux, ave, spes unica, * Hoc passionis tempore, * Auge piis iustitiam * Reisque dona veniam.

Te, summa Deus Trinitas, * Collaudet omnis spiritus * Quos per crucis mysterium * Salvas, rege per saecula. Amen.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

Oratio.

QUAESUMUS, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice, ut te largiente regatur in corpore et te servante custodiatur in mente. Per Dominum nostrum etc.



Dominica palmarum.

TURBA multa, quae convenerat ad diem festum, clamabat Domino: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Canticum Theodulphi.

GLORIA, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor,
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.
Israel es tu Rex, Davidis et inclyte proles,
Nomine qui in Domini rex benedicte venis.
Et repetitur: Gloria, laus et honor etc.

Coetus in excelsis te laudat caelicus omnis,
Et mortalis homo et cuncta creata simul.
Et repetitur: Gloria, laus et honor.

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit.
Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
Et repetitur: Gloria, laus et honor.

Hi tibi passuro solvebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Et repetitur: Gloria, laus et honor.

Hi placuere tibi, placeat devotio nostra,
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Et repetitur: Gloria, laus et honor.

℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.
℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere et crucem subire fecisti, concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Dominum nostrum etc.

In triduo sacro.

Feria 5. in cena Domini.

RADITOR autem dedit eis signum dicens: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Feria 6. in parasceve.

POSUERUNT super caput eius causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.

Sabbato sancto.

MULIERES sedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum.

Canticum Zachariae.

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, * quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a saeculo sunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris * et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris * et memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate et iustitia coram ipso * omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis; * praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri, * in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Feria V. in cena Domini.

℣. Deus meus, eripe me de manu peccatoris.
℟. Et de manu contra legem agentis et iniqui.

Feria VI. in parasceve.


℣. Insurrexerunt in me testes iniqui. ℟. Et mentita est iniquitas sibi.

Sabbato sancto.

℣. Caro mea requiescet in spe. ℟. Et non dabis videre Sanctum tuum corruptionem.

Oratio.

RESPICE, quaesumus Domine, super hanc familiam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat.



Dominica resurrectionis.

T valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Alleluia.

Sequens hymnus cum suo ℣. et ℟. dicitur etiam feria II. paschae.

Hymnus s. Ambrosii.

D cenam Agni providi * Et stolis albis candidi, * Post transitum maris rubri * Christo canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum, * In ara crucis torridum, * Cruore eius roseo * Gustando vivimus Deo.

Protecti paschae vespere * A devastante angelo, * Erepti de durissimo * Pharaonis imperio.

Iam pascha nostrum Christus est, * Qui immolatus Agnus est, * Sinceritatis azyma, * Caro eius oblata est.

O vere digna hostia, * Per quam fracta sunt tartara, * Redempta plebs captivata, * Reddita vitae praemia.

Consurgit Christus tumulo, * Victor redit de barathro, * Tyrannum trudens vinculo * Et paradisum reserans.

Quaesumus, Auctor omnium, * In hoc paschali gaudio, * Ab omni mortis impetu * Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine, * Qui surrexisti a mortuis, * Cum Patre et sancto Spiritu, * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Haec dies, quam fecit Dominus. Alleluia.

℟. Exsultemus et laetemur in ea. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adiuvando prosequere. Per eundem Dominum etc.

Dominica in albis.

CUM esset sero die illa, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati in unum, stetit Iesus in medio et dixit eis: Pax vobis. Alleluia.

Hymnus: Ad cenam Agni providi, ut supra pag. 376, qui et deinceps dicitur usque ad ascensionem Domini.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus, omnipotens Deus; ut, qui paschalia festa peregimus, haec te largiente moribus et vita teneamus. Per Dominum etc.

Dominica II. post pascha.

EGO sum pastor bonus, qui pasco oves meas et pro ovibus meis pono animam meam. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.
℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui in Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede laetitiam, ut, quos perpetuae mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eundem Dominum etc.

Dominica III. post pascha.

MODICUM, et non videbitis me, dicit Dominus; iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. Alleluia, alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.
℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui errantibus, ut in viam possint redire iustitiae, veritatis tuae lumen ostendis, da cunctis, qui Christiana professione censentur, et illa respuere, quae huic inimica sint nomini, et ea, quae sunt apta, sectari. Per Dominum etc.

Dominica IV. post pascha.

VADO ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Alleluia, alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum.

Dominica V. post pascha.

USQUE modo non petistis quidquam in nomine meo; petite et accipietis. Alleluia.

℣. Mane nobiscum Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

Oratio.

DEUS, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. Per Dominum etc.

Ad quattuor tempora.

Ora psalmum 50. Miserere et dic orationem sequentem:

MESSIS multa est, operarii autem pauci sunt. Rogamus igitur te, Domine Iesu Christe, ut mittas operarios in messem tuam: operarios innocentes vel vere paenitentes; operarios, quos ipse voces; qui per ostium ingrediantur; qui in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur ac pura et immaculata ministerii sui dona custodiant; qui scientia pura et Spiritu sancto pleni sint. Da nobis pastores, qui te diligant, ut Petrus et Ioannes dilexerunt te; qui gregem tuum ament, ut tu, pastor bone, amasti eum. Mitte pastores, qui lupos arceant, oves defendant, zizania exstirpent et sana firment dogmata. Redde eos irreprehensibiles, prudentes, pudicos,

iustos, sanctos, continentes, amplectentes fidelem sermonem, loquentes, quae decent sanam doctrinam. Rege eos in loco pascuae, in quo eos collocaturus es, ut et ipsi nos deducant ad pascua aeterna. Fac, ut laborent in vinea tua; ut vivant pro nobis, quo et ipsi vivamus pro te; ut vigilent pro nobis, ne eripiamur tibi; ut exhortentur, excitent, obsecrent, arguant, instent in omni patientia et doctrina. Effice eos pastores secundum cor tuum, zelosos, firmos, constantes; non dominantes, sed humiles, mansuetos; compatientes ignorantibus et errantibus, cum et ipsi circumdati sunt infirmitatibus. Concede nobis sacerdotes, qui nos pascant doctrina; qui nobis praeluceant bono exemplo; qui amore suo parem in nobis erga te accendant amorem; qui ferantur in nos caritate, puniant nos sapientia, confirment patientia, benedicant oratione ac in omnibus conformes se reddere conentur imagini tuae, qui es caput ecclesiae et episcopus animarum nostrarum. Rogamus etiam te, Domine, ut benedictionem tuam effundas super aegros, ut fructus terrae dare et conservare, nosque fructus iustitiae ferre digneris. Amen.



In festo s. Marci et in feriis rogationum.

Litaniae omnium Sanctorum.



KYRIE eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genetrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Sancte angele custos,
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Iohannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Ioseph,
Omnes sancti patriarchae et prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,

Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti apostoli et evangelistae, orate pro nobis.
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti innocentes,
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Scti Ioannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti martyres,
Sancte Silvester, ora pro nobis.
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Omnes sancti pontifices et confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti doctores
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti sacerdotes et levitae, orate pro nobis.
Omnes sancti monachi et eremitae,
Sancta Anna, ora pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,

Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae viduae et virgines, orate pro nobis.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A flagello terrae motus,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgere et tempestate, libera nos, Domine.
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti paracleti,
In die iudicii.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram paeni-

tentiam nos perducere digneris,
Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in tua sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut imperatorem (regem) nostrum custodire digneris,
Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmet ipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

DEUS, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina. Confundantur et revereantur, qui quaerunt animam meam; avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum; Deus, adiuva me.

Adiutor meus et liberator meus es tu; Domine, ne moreris.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto; sicut etc.

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis,
℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro pontifice nostro N.
℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum eius.
℣. Oremus pro imperatore (rege) nostro N. N.
℟. Domine, salvum fac imperatorem (regem) nostrum, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris,
℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis,
℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

EXAUDI, quaesumus Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

INEFFABILEM nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpa offenderis, paenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, miserere famulo tuo pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat. In Imperio Austriaco hic inscritur:

DEUS, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla.

URE igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

FIDELIUM, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

ACTIONES nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.


℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

In imperio Austriaco hic additur:

Quaesumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus N. N. imperator (rex) noster, qui tua miseratione regni suscepit gubernacula, vir-

tutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus et vitiorum monstra devitare, hostes superare et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire.



In ascensione Domini.



REX gloriae, Dominc virtutum, qui triumphator hodie super omnes caelos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

IESU, nostra redemptio, * Amor et desiderium, * Deus Creator omnium, * Homo in fine temporum.

Quae te vicit clementia, * Ut ferres nostra crimina, * Crudelem mortem patiens, * Ut nos a morte tolleres.

Inferni claustra penetrans, * Tuos captivos redimens, * Victor triumpho nobili, * Ad dextram Patris residens.

Ipsa te cogat pietas, * Ut mala nostra superes * Parcendo et voti compotes * Nos tuo vultu saties.

Tu esto nostrum gaudium, * Qui es

futurus praemium, * Sit nostra in te gloria * Per cuncta semper saecula. Amen.

℣. Ascendit Deus in iubilatione. Alleluia.

℟. Et Dominus in voce tubae. Alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui hodierna die Unigenitum tuum, Redemptorem nostrum, ad caelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in caelestibus habitemus. Per eundem Dominum.

Dominica infra octavam ascensionis.

CUM venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Alleluia.

Hymnus: Iesu, nostra redemptio, ut supra.

℣. Dominus in caelo. Alleluia.

℟. Paravit sedem suam. Alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem et maiestati tuae sincero corde servire. Per Dominum etc.





In festo pentecostes.

HODIE completi sunt dies pentecostes, alleluia; hodie Spiritus sanctus in igne discipulis apparuit et tribuit eis charismatum dona; misit eos in universum mundum praedicare et testificari: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Alleluia.

Hymnus Caroli Magni.

VENI creator Spiritus, * Mentes tuorum visita, * Imple superna gratia, * Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus, * Altissimi donum Dei, * Fons vivus, ignis, caritas * Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, * Digitus paternae dexterae, * Tu rite promissum Patris * Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, * Infunde amorem cordibus, * Infirma nostri corporis * Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, * Pacemque

dones protinus, * Ductore sic te praevio * Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, * Noscamus atque Filium, * Teque utriusque Spiritum * Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria * Et Filio, qui a mortuis * Surrexit, ac Paraclito * In saeculorum saecula. Amen. (Indulg. 100 dier.)

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Alleluia.

℟. Et coeperunt loqui. Alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die corda fidelium s. Spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum etc. in unitate eiusdem Spiritus.

In festo ss. Trinitatis.


GRATIAS tibi, Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Hymnus s. Ambrosii.

O LUX beata Trinitas, * Et principalis Unitas; * Iam sol recedit igneus, * Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine, * Te deprecemur vespere: * Te nostra supplex gloria * Per cuncta laudet saecula.

Deo Patri sit gloria * Eiusque soli Filio * Cum Spiritu Paraclito * Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum etc.

In solemnitate ss. corporis Christi.

Ora precationes ut supra in feria quinta pag. 250.

Dominica infra octavam ss. corporis Christi.



HOMO quidam fecit cenam magnam et vocavit multos; et misit servum

suum hora cenae dicere invitatis, ut venirent, quia omnia parata sunt. Alleluia.

Hymnus: Pange lingua gloriosi, ut supra pag. 255.

℣. Panem caeli dedit eis. Alleluia.

℟. Panem angelorum manducavit homo. Alleluia.

Oratio.

SANCTI nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum.

Dom. III. post pentecosten.

QUAE mulier habens drachmas decem; et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat?

Sequens hymnus cum suo ℣. et ℟. dicitur usque ad dom. I. Octobris.

Hymnus S. Gregorii M.

ECCE! iam noctis tenuatur umbra, * Lucis aurora rutilans coruscat, * Nisibus totis recogitemus omnes * Cuncti potentem.

Ut Deus, nostri miseratus, omnem * Pellat languorem, tribuat salutem, * Donet et nobis pietate Patris * Regna polorum.

Praestet hoc nobis Deitas beata * Patris ac Nati pariterque sancti * Spiritus, cuius reboat in omni * Gloria mundi. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute.

Oratio.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. Per Dominum.

Dom. IV. post pentecosten.

PRAECEPTOR, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.

Oratio. Da nobis, quaesumus Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et ecclesia tua tranquilla devotione laetetur. Per Dominum.

Dom. V. post pentecosten.

SI offers munus tuum ad altare et recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Alleluia.

Oratio. Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

Dom. VI. post pentecosten.

CUM turba multa esset cum Iesu, nec haberent, quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce, iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Alleluia.

Oratio. Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis et praesta in nobis religionis augmentum, ut quae sunt bona, nutrias ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Per Dominum.

Dom. VII. post pentecosten.

NON potest arbor bona fructus malos facere nec arbor mala fructus bonos facere; omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Alleluia.

Oratio. Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas et omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

Dom. VIII. post pentecosten.

AIT Dominus villico: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae. Alleluia.

Oratio. Largire nobis, quaesumus Domine, semper spiritum cogitandi, quae recta sunt, propitius et agendi, ut, qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dominum.

Dom. IX. post pentecosten.

SCRIPTUM est, quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum; et erat cotidie docens in templo.

Oratio. Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium, et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare. Per Dominum.

Dom. X. post pentecosten.

STANS a longe publicanus nolebat oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Oratio. Deus, qui omnipotentiam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes caelestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.

Dom. XI. post pentecosten.

CUM transisset Dominus fines Tyri, surdos fecit audire et mutos loqui.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuae et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas, quae conscientia metuit, et adicias, quod oratio non praesumit. Per Dominum.

Dom. XII. post pentecosten.

MAGISTER, quid faciendo vitam aeternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Alleluia.

Oratio. Omnipotens et misericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue quaesumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.

Dom. XIII. post pentecosten.

CUM transiret Iesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe et levaverunt vocem dicentes: Iesu, praeceptor, miserere nostri.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et caritatis augmentum, et ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod praecipis. Per Dominum.

Dom. XIV. post pentecosten.

QUAERITE primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis. Alleluia.

Oratio. Custodi, Domine, quaesumus, ecclesiam tuam propitiatione perpetua, et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis et ad salutaria dirigatur. Per Dominum.

Dom. XV. post pentecosten.

PROPHETA magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Oratio. Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet ac muniat et, quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Dominum.

Dom. XVI. post pentecosten.

CUM vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi, qui te invitavit: Amice, ascende superius. Et erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Alleluia.

Oratio. Tua nos, quaesumus Domine, gratia semper et praeveniat et sequatur ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos. Per Dominum.

Dom. XVII. post pentecosten.

QUID vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei omnes: David. Dicit eis Iesus: Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis?

Oratio. Da, quaesumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia et te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum.

Dom. XVIII. post pentecosten.

DIXIT Dominus paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Oratio. Dirigat corda nostra, quaesumus Domine, tuae miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

Dom. XIX. post pentecosten.

INTRAVIT autem rex, ut videret discumbentes. Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?

Oratio. Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente et corpore pariter expediti, quae tua sunt, liberis mentibus exsequamur. Per Dominum.

Dom. XX. post pentecosten.

ERAT quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset,

quod Iesus veniret in Galilaeam, rogabat eum, ut sanaret filium eius.

Oratio. Largire, quaesumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis et secura tibi mente deserviant. Per Dominum.

Dom. XXI. post pentecosten.

DIXIT autem dominus servo: Redde, quod debes. Procidens autem servus ille rogabat eum dicens: Patientiam habe in me et omnia reddam tibi.

Oratio. Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

Dom. XXII. post pentecosten.

MAGISTER, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces. Alleluia.

Oratio. Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis ecclesiae tuae precibus auctor ipse pietatis et praesta, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Dom. XXIII. post pentecosten.

DICEBAT enim intra se: Si tetigero fimbriam vestimenti eius tantum, salva ero.

Oratio. Absolve, quaesumus Domine, tuorum delicta populorum, ut a peccatorum nexibus, quae pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum.

Dom. XXIV. (ultima) post pentecosten.

CUM videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intellegat.

Oratio. Excita, quaesumus Domine, tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propensius exsequentes pietatis tuae remedia maiora percipiant. Per Dominum.

In dedicatione ecclesiae.



SANCTIFICAVIT Dominus tabernaculum suum, quia haec est domus Dei, in qua invocabitur nomen eius, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Hymnus ecclesiae.

URBS Ierusalem beata, * Dicta pacis visio, * Quae construitur in caelis * Vivis ex lapidibus, * Et angelis coronata, * Ut sponsata comite.

Nova veniens e caelo, * Nuptiali thalamo * Praeparata, ut sponsata * Copuletur Domino: * Plateae et muri eius * Ex auro purissimo.

Portae nitent margaritis * Adytis patentibus, * Et virtute meritorum * Illuc introducitur * Omnis, qui ob Christi nomen * Hic in mundo premitur.

Tunsionibus pressuris * Expoliti lapides * Suis coaptantur locis * Per manus artificis, * Disponuntur permansuri * Sacris aedificiis.

Gloria et honor Deo * Usquequaque altissimo, Una Patri Filioque, * Inclyto Paracleto, * Cui laus est et potestas * Per aeterna saecula. Amen.

V. Haec est domus Domini firmiter aedificata.

R. Bene fundata est supra firmam petram.

Oratio.

DEUS, qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem

et sacris semper mysteriis repraesentas incolumes, exaudi preces populi tui et praesta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur. Per Dominum.





Festa beatae Mariae virginis.

In festo immaculatae conceptionis B. M. V.

Die VIII. Decembris.



HODIE egressa est virga de radice Iesse; hodie sine ulla peccati labe concepta est Maria; hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui. Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

PRAECLARA custos virginum, * Intacta Mater numinis, * Caelestis aulae ianua, * Spes nostra, caeli gaudium.

Inter rubeta lilium, * Columba formosissima, * Virga e radice germinans * Nostro medelam vulneri.

Turris draconi impervia, * Amica stella naufragis, * Tuere nos a fraudibus * Tuaque luce dirige.

Erroris umbras discute, * Syrtes dolosas amove, * Fluctus tot inter deviis * Tutam reclude semitam.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Immaculata conceptio est hodie sanctae Mariae virginis.

℟. Quae serpentis caput virgineo pede contrivit.

Oratio.

DEUS, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum etc.



In festo desponsationis B. M. V. cum s. Joseph.

Die XXIII. Januarii.

GLORIOSAE virginis Mariae desponsationem dignissimam recolamus quae, et Genetricis dignitatem obtinuit et virginalem pudicitiam non amisit.

Hymnus ecclesiae.

AVE maris stella, * Dei Mater alma, * Atque semper Virgo, * Felix caeli porta.
Sumens illud Ave * Gabrielis ore, * Funda nos in pace, * Mutans Hevae nomen.
Solve vincla reis, * Profer lumen caecis, * Mala nostra pelle, * Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem, * Sumat per te preces, * Qui pro nobis natus * Tulit esse tuus.
Virgo singularis, * Inter omnes mitis, * Nos culpis solutos * Mites fac et castos.
Vitam praesta puram, * Iter para tutum, * Ut videntes Iesum * Semper collaetemur.
Sit laus Deo Patri, * Summo Christo decus, * Spiritui sancto * Tribus honor unus. Amen.

℣. Desponsatio est hodie sanctae Mariae virginis.

℟. Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Domine, caelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus exstitit salutis exordium, desponsationis eius votiva sollemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum.

In festo purificationis B. M. V.

Die II. Februarii.



UM inducerent puerum Iesum parentes eius, accepit eum Simeon in ulnas suas et benedixit Deum dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace.

Hymnus Venantii Fortunati.

O GLORIOSA Domina, * Excelsa super sidera, * Qui te creavit provide, * Lactasti sacro ubere.

Quod Heva tristis abstulit, * Tu reddis almo germine, * Intrent ut astra flebiles * Caeli fenestra facta es.

Tu regis alti ianua * Et porta lucis

fulgida, * Vitam datam per Virginem * Gentes redemptae plaudite.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto.

℟. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eundem Dominum.

In festo annuntiationis B. M. V.

Die XXV. Martii.


ABRIEL angelus locutus est Mariae dicens: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Hymnus Venantii Fortunati.

QUEM terra, pontus, aethera * Colunt, adorant, praedicant, * Trinam regentem machinam * Claustrum Mariae baiulat.

Cui luna, sol et omnia * Deserviunt per tempora, * Perfusa caeli gratia * Gestant puellae viscera.

Beata Mater munere, * Cuius supernus artifex * Mundum pugillo continens, * Ventris sub arca clausus est.

Beata caeli nuntio, * Fecunda sancto Spiritu, * Desideratus gentibus * Cuius per alvum fusus est.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Ave Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Oratio.

DEUS, qui de beatae Mariae virginis utero Verbum tuum, angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genetricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuvemur. Per eundem Dominum.

In festo septem dolorum B. M. V.

Feria VI. post dom. passionis.

UM vidisset Iesus matrem stantem iuxta crucem, et discipulum, quem

diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Hymnus Iacopone da Todi.

STABAT Mater dolorosa * Iuxta crucem lacrimosa, * Dum pendebat Filius.

Cuius animam gementem, * Contristatam et dolentem * Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta * Fuit illa benedicta * Mater Unigeniti.

Quae maerebat et dolebat * Pia Mater, dum videbat * Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret, * Matrem Christi si videret * In tanto supplicio?

Quis non posset contristari, * Matrem Christi contemplari * Dolentem cum Filio.

Pro peccatis suae gentis * Vidit Iesum in tormentis * Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum * Moriendo desolatum, * Dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris, * Me sentire vim doloris * Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum * In amando Christum Deum, * Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas, * Crucifixi fige plagas * Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati, * Tam dignati pro me pati, * Poenas mecum divide.

Fac me vere tecum flere, * Crucifixo condolere, * Donec ego vixero.

Iuxta crucem tecum stare * Et me tibi sociare * In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara, * Mihi iam non sis amara, * Fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem, * Passionis fac consortem * Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari, * Cruce hac inebriari * Ob amorem Filii.

Inflammatus et accensus, * Per te, Virgo, sim defensus * In die iudicii.

Fac me cruce custodiri, * Morte Christi praemuniri, * Confoveri gratia.

Quando corpus morietur, * Fac, ut animae donetur * Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DEUS, in cuius passione secundum Simeonis prophetiam dulcissimam animam gloriosae virginis et matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui transfixionem eius et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus om-

nium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

In festo purissimi cordis B. M. V.

Dom. I. Maii.

XSULTAVIT cor meum in Deo salutari meo, quia fecit mihi magna, qu potens est. Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

COR aula regum Principis, * Dignum Dei sacrarium, * Arca superna foederis, * Altare pacis aureum!

Tu fons perennis gratiae, * Spes et salus clientibus; * Tu sinus indulgentiae * Portusque naufragantibus.

Per cor matris purissimum, * Templum Dei dignissimum, * Iesu, tibi sit gloria * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Exsulta in omni corde, filia Ierusalem. Alleluia.

℟. Rex Israel, Dominus in medio tui. Alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in corde beatae Mariae virginis dignum Spiri-

tus sancti habitaculum praeparasti, concede propitius, ut eiusdem purissimi cordis festivitatem devota mente recolentes secundum cor tuum vivere valeamus. Per Dominum. In unitate eiusdem Spiritus.

In festo visitationis B. M. V.

Die II. Iulii.

CUM audisset salutationem Mariae Elisabeth, exclamavit voce magna et dixit: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

CONDITOR alme siderum, * Aeterna lux credentium, * Christe redemptor omnium, * Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu * Mortis perire saeculum, * Salvasti mundum languidum, * Donans reis remedium.

Vergente mundi vespere, * Uti sponsus de thalamo * Egressus honestissima * Virginis matris clausula.

Cuius forti potentiae * Genu curvantur omnia, * Caelestia, terrestria * Nutu fatentur subdita.

Te deprecamur agie, * Venture iudex

saeculi: * Conserva nos in tempore * Hostis a telo perfidi.

Laus, honor, virtus, gloria * Deo Patri et Filio, * Sancto simul Paracleto * In saeculorum saecula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Domine, caelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae Virginis partus exstitit salutis exordium, visitationis eius votiva sollemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In festo B. M. V. de monte Carmelo.

Die XVI. Iulii.

GLORIA Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Alleluia.

Hymnus Venantii Fortunati: O gloriosa Domina ut supra pag. 414.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oratio.

DEUS, qui beatissimae semper virginis et genetricis tuae Mariae singulari titulo Car-

meli ordinem decorasti, concede propitius, ut cuius hodie commemorationem sollemni celebramus officio, eius muniti praesidiis ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

In festo assumptionis B. M. V.

Die XV. Augusti.

QUAE est ista, quae ascendit, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Hymnus ecclesiae.

O STELLA Iacob fulgida, * O solis instar splendida * Aurora, qua nil purius * Refulget inter sidera.

Stolis amictae candidis * Tibi catervae caelitum * Plaudunt sacraeque virgines * Laudes perennes concinunt.

Quin obsequentes offerunt * Ligustra et alba lilia; * Candor sed horum vincitur * Candore casti pectoris.

Nostra angelorum laudibus * Abiecta tellus assonans, * Ad astra voces efferat * Et Virginis praeconia.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de

Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Exaltata est sancta Dei Genetrix.

℟. Super choros angelorum ad caelestia regna.

Oratio.

FAMULORUM tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genetricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus.

In festo nativitatis B. M. V.

Die VIII. Septembris.

NATIVITATEM hodiernam perpetuae virginis Genetricis Dei Mariae sollemniter celebremus, qua celsitudo throni processit. Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

TE, Mater alma numinis, * Oramus omnes supplices, * A fraude nos ut daemonis * Tua sub umbra protegas.

Ob perditum nostrum genus * Primi parentis crimine, * Ad inclytum Matris decus * Te rex supremus extulit.

Clementer ergo prospice * Lapsis Adami posteris, * Ad te rogatus Filius * Deponat iram vindicem.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine. * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Nativitas est hodie sanctae Mariae virginis.

℟. Cuius vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Domine, caelestis gratiae munus impertire, ut quibus beatae virginis partus exstitit salutis exordium, nativitatis eius votiva sollemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

In festo sanctissimi nominis B. M. V.

Dom. infra oct. nativ. B. M. V.

BEATAM me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Hymnus ecclesiae: Te, Mater alma numinis, ut supra pag. 423.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere, procede et regna.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimae virginis Mariae nomine et protectione laetantur, eius pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in caelis. Per Dominum.

In sollemnitate ss. rosarii B. M. V.

Dom. I. Octobris.

BEATA mater et intacta virgo, gloriosa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Hymnus Venantii Fortunati: Quem terra pontus, aethera, ut supra pag. 415.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genetrix intercede pro nobis.

Oratio.

DEUS, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit; concede, quaesumus, ut haec mysteria sanctissimo beatea Mariae virginis rosario recolentes et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eundem Dominum.

In festo patrocinii B. M. V.

Dom. II. Novembris.

SANCTA Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuum sanctum patrocinium.

Hymnus ecclesiae.

TE Redemptoris Dominique nostri * Dicimus matrem, speciosa Virgo, * Christianorum decus et levamen * Rebus in arctis.

Saeviant portae licet inferorum, * Hostis antiquus fremat, et minaces * Ut Deo sacrum populetur agmen * Suscitet iras.

Nil truces possunt furiae nocere * Mentibus castis, prece quas vocata * Annuens Virgo fovet, et superno * Robore firmat.

Tanta si nobis faveat patrona, * Bellici cessat sceleris tumultus, * Mille sternuntur fugiuntve turmae, * Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione * Turris, arx firmo fabricata muro, * Civitas David, clypeis et acri * Milite tuta.

Virgo sic fortis Domini potenti * Dex-

tera, caeli cumulata donis, * A piis longe famulis repellit * Daemonis ictus.

Te per aeternos veneremur annos, * Trinitas, summo celebranda plausu, * Te fide mentes resonoque linguae * Carmine laudent. Amen.

℣. Elegit eam Deus et praeelegit eam.
℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum.

In festo praesentationis B. M. V.

Die XXI. Novembris.

BEATA Dei Genetrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo. Alleluia.

Hymnus ecclesiae.

SALVE Virgo puerpera, * Templum Trinitatis, * Angelorum gaudium, * Cella puritatis.

Solamen maerentium, * Hortus voluptatis, * Palma patientiae, * Cedrus castitatis.

Terra es benedicta * Et sacerdotalis, * Sancta et immunis * Culpae originalis.


Civitas altissimi, * Porta orientalis: * In te est omnis gratia * Virgo singularis. Amen.

℣. Adiuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio eius non commovebitur.

Oratio.

DEUS, qui beatam Mariam semper virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo praesentari voluisti; praesta, quaesumus, ut eius intercessione in templo gloriae tuae praesentari mereamur. Per Dominum. In unitate eiusdem Spiritus.





Festa sanctorum angelorum.

In festo sanctorum angelorum custodum.

Dom. I. Septembris.

REVERSUS est angelus, qui loquebatur in me et suscitavit me quasi virum, qui suscitatur a somno suo.

Hymnus.

ORBIS Patrator optime, * Qui, quidquid est, potentia * Magna creasti nec regis * Minore providentia.

Adesto supplicantium * Tibi reorum coetui * Lucisque sub crepusculum * Lucem novam da mentibus.

Tuusque nobis angelus * Signatus ad custodiam * Hic adsit, a contagio * Qui criminum nos protegat.

Serpentis nobis aemuli * Calumnias ex-

terminet, * Ne rete fraudulentiae * Incauta nectat pectora.

Metum repellat hostium * Nostris procul de finibus, * Pacem procuret civium * Fugetque pestilentiam.

Deo Patri sit gloria, * Qui quos redemit Filius * Et sanctus unxit Spiritus * Per angelos custodiat. Amen.

℣. In conspectu angelorum psallam tibi, Deus meus.

℞. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

Oremus. Deus, qui ineffabili providentia sanctos angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis et eorum semper protectione defendi et aeterna societate gaudere. Per Dominum nostrum.

In dedicatione s. Michaelis archangeli.

Die XXIX. Septembris.

DUM sacrum ministerium cerneret Ioannes, archangelus Michael tuba cecinit: Ignosce, Domine Deus noster, qui aperis librum et solvis signacula eius. Alleluia.

Hymnus Rhabani Mauri.

TIBI Christe, splendor Patris, * Vita, virtus cordium, * In conspectu angelorum * Votis, voce psallimus: * Alternantes concrepando * Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes * Omnes caeli milites; * Sed praecipue primatem * Caelestis exercitus, * Michaelem, in virtute * Conterentem zabulum.

Quo custode procul pelle, * Rex Christe piissime, * Omne nefas inimici, * Mundo corde et corpore; * Paradiso redde tuo * Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis * Personemus vocibus, * Gloriam Christo canamus, * Gloriam Paraclito, * Qui trinus et unus Deus * Exstat ante saecula. Amen.

℣. Stetit angelus iuxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Oratio.

DEUS, qui miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in caelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum.

In festo s. Raphaelis archangeli.

Die XXIV. Octobris.

PRINCEPS gloriosissime, Raphael archangele, esto memor nostri; hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

Hymnus Rhabani Mauri.

CHRISTE, sanctorum decus angelorum, * Rector humani generis et auctor, * Nobis sacratum tribue benignus * Scandere caelum.

Angelum nobis medicum salutis * Mitte de caelis Raphael, ut omnes * Sanet aegrotos pariterque nostros * Dirigat actus.

Hinc Dei nostri genetrix Maria, * Totus et nobis chorus angelorum * Semper assistat, simul et beata * Concio tota.

Praestet hoc nobis Deitas beata * Patris ac Nati pariterque sancti * Spiritus, cuius reboat in omni * Gloria mundo. Amen.

℣. In conspectu angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo.

Oratio.

DEUS, qui beatum Raphaelem archangelum Tobiae, famulo tuo, comitem dedisti

in via, concede nobis famulis tuis, ut eiusdem semper protegamur custodia et muniamur auxilio. Per Dominum.

In festo s. Gabrielis archangeli.

Die XVIII. Martii.

ABRIEL angelus descendit ad Zachariam et ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem, et multi in nativitate eius gaudebunt; ipse enim praeibit ante faciem Domini parare vias eius.

Hymnus.

PLACARE Christe servulis, * Quibus paris clementiam * Tuae ad tribunal gratiae, * Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem * Distincta gyros, agmina, * Antiqua cum praesentibus, * Futura damna pellite.

Auferte gentem perfidam * Credentium de finibus, * Ut unus omnes unicum * Ovile nos pastor regat.


Deo Patri sit gloria * Natoque Patris unico, * Sancto simul Paraclito * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu angeli.

Oratio.

DEUS, qui inter ceteros angelos ad annuntiandum incarnationis tuae mysterium Gabrielem archangelum elegisti, concede propitius, ut, qui festum eius celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in caelis. Qui vivis et regnas.



Festa sanctorum.

In festo s. Stephani protomartyris.

Die XXVI. Decembris.

STEPHANUS autem plenus gratia et fortitudine faciebat signa magna in populo.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui unicum * Patris sequendo Filium * Victis triumphas hostibus, * Victor fruens caelestibus.

Tui precatus munere * Nostrum reatum dilue, * Arcens mali contagium, * Vitae removens taedium.

Soluta sunt iam vincula * Tui sacrati corporis; * Nos solve vinclis saeculi * Amore Filii Dei.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

In festo s. Ioannis apostoli et evangelistae.

Die XXVII. Decembris.

ISTE est Ioannes, qui supra pectus Domini in cena recubuit; beatus apostolus, cui revelata sunt secreta caelestia.

Hymnus ecclesiae.

EXSULTET caelum laudibus, * Resultet terra gaudiis, * Apostolorum gloriam * Sacra canunt solemnia.

Vos saecli iusti iudices * Et vera mundi lumina, * Votis precamur cordium, * Audite preces supplicum.

Qui caelum verbo clauditis * Serasque eius solvitis, * Nos a peccatis omnibus * Solvite iussu, quaesumus.

Quorum praecepto subditur * Salus et languor omnium, * Sanate aegros moribus, * Nos reddentes virtutibus.

Ut cum iudex advenerit * Christus in fine saeculi, * Nos sempiterni gaudii * Faciat esse compotes.

Gloria tibi, Domine, * Qui natus es de Virgine, * Cum Patre et sancto Spiritu * In sempiterna saecula. Amen.

℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.

℟. Et scimus, quia verum est testimonium eius.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Ioannis apostoli tui et evangelistae illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

In festo s. Thomae de Aquino conf. doctoris.

Die VII. Martii.

VIROR carnis flore munditiae, vigor vitae fructu iustitiae, splendor verbi dono scientiae, te decorant stantem in acie, te coronant in statu gloriae.

Hymnus ecclesiae.

EXSULTET mentis iubilo * Laudans turba fidelium, * Errorum pulso nubilo * Per novi solis radium.

Thomas in mundi vespere * Fudit thesauros gratiae, * Donis plenus ex aethere * Morum et sapientiae.

De cuius fonte luminis * Verbi coruscant faculae, * Scripturae sacrae numinis * Et veritatis regulae.

Fulgens doctrinae radiis, * Clarus vitae munditia, * Splendens miris prodigiis * Dat toti mundo gaudia.

Laus Patri sit ac Genito * Simulque sancto Flamini, * Qui sancti Thomae merito * Nos caeli iungat agmini. Amen.

℣. Iustus germinabit sicut lilium.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum.

Oratio.

DEUS, qui ecclesiam tuam beati Thomae confessoris tui mira eruditione clarificas et sancta operatione fecundas, da nobis, quaesumus, et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere. Per Dominum.

In festo s. Ioseph sponsi B. M. V.

Die XIX. Martii.

EXSURGENS Ioseph a somno fecit, sicut praecepit ei angelus Domini, et accepit coniugem suam.

Hymnus ecclesiae.

CAELITUM Ioseph decus atque nostrae * Certa spes vitae columenque mundi, * Quas tibi laeti canimus, benignus * Suscipe laudes.

Te sator rerum statuit pudicae * Virginis sponsum, voluitque Verbi * Te patrem dici, dedit et ministrum * Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo iacentem, * Quem chorus vatum cecinit futurum, * Aspicis gaudens humilisque natum * Numen adoras.

Rex, Deus regum, dominator orbis, * Cuius ad nutum tremit inferorum * Turba, cui pronus famulatur aether, * Se tibi subdit.

Laus sit excelsae Triadi perennis, * Quae tibi praebens superos honores, * Det tuis nobis meritis beatae * Gaudia vitae. Amen.

℣. Constituit eum dominum domus suae.

℟. Et principem omnis possessionis suae.

Oratio.

DEUS, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genetricis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum.

In festo s. Benedicti abbatis.

Die XXI. Martii.

SANCTUS Benedictus per viam Orientis recto tramite videntibus discipulis caelum ascendit, erectis manibus inter verba orationis exspiravit, in gloria ab angelis susceptus est.

Hymnus.

INTER aeternas superum coronas, * Quas sacro partas retinent agone, * Emicas celsis meritis coruscans, * O Benedicte!

Sancta te compsit puerum senectus, * Nil sibi de te rapuit voluptas; * Aruit mundi tibi flos, ad alta * Mente levato.

Hinc fuga lapsus patriam, parentes * Deseris, fervens nemorum colonus, * Edo-

mas carnem subigisque Christo, * Tortor acerbus.

Ne diu tutus latebras foveres, * Signa te produnt operum piorum; * Spargitur felix celebri per orbem * Fama volatu.

Gloria Patri genitaeque Proli * Et tibi compar utriusque semper * Spiritus alme, Deus unus, omni * Tempore saecli. Amen.

℣. Lex Dei eius in corde ipsius.

℟. Et non supplantabuntur gressus eius.

Oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui carnis eductum ergastulo sanctissimum confessorem tuum Benedictum sublevasti ad caelum, concede, quaesumus, haec festa tuis famulis celebrantibus cunctorum veniam delictorum, ut qui exsultantibus animis eius claritati congaudent, ipso apud te interveniente consocientur et meritis. Per Dominum nostrum.

In festo s. Aloisii Gonzagae.

Die XXI. Iunii.

EUGE, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Hymnus.

ALOISI caeli gemma * pleno fulgens lumine * Nobile quem ornat stemma * traditum a Numine, * Nil quod animam obscurat * et salutem non procurat, * Per te ullo tempore * nostro sit in pectore.

Tu, qui nivium candorem * vincis innocentia, * Ora, huius ut amorem * Dei det clementia, * Ne relicta puritate * et contracta foeditate * Capiat initium * animae exitium.

Qui imago es rosarum * coronata sentibus, * Age, crimen sit amarum * vere paenitentibus, * Impetra ut divinorum * sanctam vitam praeceptorum * Sub amato onere * decurramus opere.

Quod abusu rationis * viam hanc calcavimus, * Quod damnatae regionis * nos heredes fecimus, * Istud nostram mentem ferit * et amaro planctu terit * Fugit innocentia, * levet paenitentia.

Gratiose Aloisi * nostros audi gemitus, * Fac ad portam paradisi * nobis detur aditus, * Ubi vita angelorum * prorsus expers peccatorum, * Agnus ubi reficit, * nulla labes inficit.

Grata Deo mille damus * pietate de-

bita * Danti ut ad se tendamus * duplici in semita * Aut per innocentum callem * aut per paenitentum vallem * Utriusque conscius * iuvet Aloisius. Amen.

℣. Os iusti meditabitur sapientiam.

℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Oratio.

CAELESTIUM donorum distributor Deus, qui in angelico iuvene Aloisio miram vitae innocentiam pari cum paenitentia sociasti, eius meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti paenitentem imitemur. Per Dominum.

In festo ss. apostolorum Petri et Pauli.

Die XXIX. Iunii.



ODIE Simon Petrus ascendit crucis patibulum, alleluia; hodie clavicularius regni gaudens migravit ad Christum; hodie Paulus apostolus, lumen orbis terrae, inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est. Alleluia.

Hymnus.

Decora lux aeternitatis auream * Diem beatis irrigavit ignibus, * Apostolorum quae coronat principes * Reisque in astra liberam pandit viam.

Mundi magister atque caeli ianitor * Romae parentes arbitrique gentium, * Per ensis ille, hic per crucis victor necem * Vitae senatum laureati possident.

Iam bone pastor, Petre, clemens accipe * Vota precantium et peccati vincula * Resolve tibi potestate tradita, * Qua cunctis caelum verbo claudis, aperis.

Doctor egregie, Paule, mores instrue, * Et mente polum nos transferre satage, * Donec perfectum largiatur plenius, * Evacuato, quod ex parte gerimus.

O Roma felix, quae duorum principum * Es consecrata glorioso sanguine, * Horum cruore purpurata ceteras * Excellis orbis una pulchritudines.

Sit Trinitati sempiterna gloria, * Honor, potestas atque iubilatio * In Unitate, cui manet imperium * Ex tunc et modo, per aeterna saecula. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.
℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio.

DEUS, qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum.

In festo s. Ignatii conf.

Die XXXI. Iulii.



SIMILABO eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

Hymnus.

CUM mundus in caligine * reatuum iaceret, * Haeresium fuligine * suffusus indoleret,

Rerum supremus Arbiter * misertus ingementis, * Movit viri cor graviter * incommodo medentis.

Fuit vir Ignatius * missus medela morbis, * Virtute cuius laetius * late vireret orbis.

Ignatius Mavortiae * se consecrat coronae, * Spem fregit huius gratiae * Bellona Pampelonae.

Curatus aeger cogitat * vias inire vitae, * Quas isse divos lectitat * renuntians avitae.

Tricennis imae factus est * tiro latinitatis, * Huc insolenti adactus est * ardore caritatis.

Ut auctus inde nobili * sodalium sequela * Rebus vacaret fertili * mortalium medela.

Calumnias et verbera * sannasque carceresque * Tulit, tulisset vulnera * libentius necesque.

Mox ordo Iesu nomine * vocatus incohatur * Fausto deinceps omine * formatus approbatur.

Iam vitis isthaec serpserat * Ignatio satore * Orbemque ferme sepserat * caelestium favore.

Cum strenui mens militis * post haec relicta castra * Indepta nomen caelitis * poli subivit astra.

O patriarcha, lumine * dignare nos paterno * Opemque natis limine * transmitte de superno. Amen.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oratio.

DEUS, qui ad maiorem tui nominis gloriam propagandam novo per beatum Igna-

tium subsidio militantem ecclesiam roborasti, concede, ut eius auxilio et imitatione certantes in terris coronari cum ipso mereamur in caelis. Qui vivis.

In festo s. Augustini episc. conf. doct.

Die XXVIII. Augusti.


DEST dies celebris, quo solutus nexu carnis sanctus praesul Augustinus assumptus est cum angelis, ubi gaudet cum prophetis, laetatur cum apostolis, quorum plenus spiritu, quae praedixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia.

Hymnus.

MAGNE pater Augustine, * preces nostras suscipe * Et per eas Conditori * nos placare satage, * Atque rege gregem tuum, * summum decus praesulum!

Amatorem paupertatis * te collaudant pauperes, * Affertorem veritatis * amant veri iudices, * Frangis nobis favos mellis * de scripturis disserens.

Quae obscura prius erant, * nobis plana

faciens * Tu de verbis Salvatoris * dulcem panem conficis * Et propinas potum vitae * de psalmorum nectare.

Tu de vita clericorum * sanctam scribis regulam, * Quam qui amant et sequuntur, * viam tenent regiam * Atque tuo sancto ductu * redeunt ad patriam.

Regi regum salus, vita, * decus et imperium; * Trinitati laus et honor * sit per omne saeculum * Qui concives nos adscribat * supernorum civium. Amen.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oratio.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandae pietatis indulges, intercedente beato Augustino, confessore tuo atque pontifice, consuetae misericordiae tribue benignus effectum. Per Dominum.

In festo s. Francisci de Assisi c.

Die IV. Octobris.

FRANCISCUS pauper et humilis hodie dives caelum ingreditur, gloria aeterna coronatur.

Hymnus.

FRANCISCE pauper et humilis, * Plus millies amabilis, * Tibi patrono supplicis * Appendo vota pectoris.

Ave tuorum gaudium, * Toparcha magne caelitum, * Patientiae miraculum * Et pauperum solacium.

Lodice tectus paupere * Et fune cinctus corpore * Deum modeste vulneras, * Dum sic amantem provocas.

En ipse Iesus propria * Offert amoris vulnera, * Tuoque quino stigmate * Signatus est in corpore.

O vis amoris maxima! * Quam blanda sunt haec vincula, * Quibus Deus mortalibus * Vult illigari cordibus.

Tu magne et ardens seraphim, * Tanto fac aestu perpetim, * Succendar in purissimas * Aeterni amoris flammulas.

Hoc igne colliquescere * Et pectus hoc consumere, * Fac millies, amabilis * Francisce pauper et humilis.

℣. Beati pauperes spiritu.

℟. Quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Oratio.

DEUS, qui ecclesiam tuam beati Francisci meritis fetu novae prolis amplificas, tribue

nobis ex eius imitatione terrena despicere et caelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

In festo omnium sanctorum.

Die I. Novembris.

NGELI, archangeli, throni et dominationes, principatus et potestates, virtutes caelorum, cherubim atque seraphim, patriarchae et prophetae, sancti legis doctores, apostoli, omnes Christi martyres, sancti confessores, virgines Domini, anachoretae sanctique omnes, intercedite pro nobis.

Hymnus ecclesiae.

IESU, salvator saeculi, * Redemptis ope subveni, * Et pia Dei Genetrix, * Salutem posce miseris.

Coetus omnes angelici, * Patriarcharum cunei * Et prophetarum merita * Nobis precentur veniam.

Baptista Christi praevius, * Et claviger aethereus, * Cum ceteris apostolis * Nos solvant nexu criminis.

Chorus sacratus martyrum, * Confessio sacerdotum * Et virginalis castitas * Nos a peccatis abluant.

Monachorum suffragia * Omnesque cives caelici * Annuant votis supplicum * Et vitae poscant praemium.

Laus, honor, virtus, gloria * Deo Patri et Filio, * Sancto simul Paraclito * In saeculorum saecula. Amen.

℣. Laetamini in Domino et exsultate iusti.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum.

In festo s. Stanislai Costcae.

Die XIII. Novembris.

SIMILABO eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

Hymnus.

SALVE, o caste candor puritatis, * Intemeratae flos virginitatis! * Tuum dum corpus purum conservatur * Vultusque caeli luce illustratur.

Lumina ista monstrant radiorum * Non cinctam mentem nube peccatorum. * Decuit corpus ita illustrari * Nescium noxa mortali gravari. Amen!

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Oratio.

IESU, virgineae castitatis amator et auctor, qui beatum Stanislaum Costcam immaculatum in hoc saeculo custodivisti, concede propitius, ut qui eius memoriam propter te, qui inter spiritualia lilia libenter pasceris, recolimus, eius precibus ac meritis intactam a mundi illecebris animam et corpus pro tuo domicilio semper servemus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

In festo s. Catharinae V. M.

Die XXV. Novembris.

VENI, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.

Hymnus.

AVE, virgo Catharina, * ave martyr et regina, * Ave sponsa Christi vera, * ave mitis et sincera.

Ave, virgo Deo digna, * Christi prece me consigna, * Preces audi, iuva votum * cor in bono sit immotum.

O beata Catharina * Babylonis de sentina * iuva rapi me clientem * Christo praesta servientem.

Superare iuva mundum, * ne demergar in profundum, * Ne permittar naufragari * in peccatis in hoc mari.

Virgo Dei, nunc memento, * quo labore, quo tormento * Regnum Dei meruisti * et sic caelos ascendisti.

In conspectu virgo Dei * memor esto, precor, mei, * Memor esto suplicantis, * ut de malis lever tantis.

In peccatis constitutus * mille malis involutus * Per te precor expediri * vellem scelus impediri.

Tu me vise tunc infirmum, * fac ut Christus faxit firmum * Agonista Dei fortis * esto praesens hora mortis.

Decumbentem fove, leva. * fac de morte salver saeva, * Ut resurgam novus homo * in caelesti civis domo.

Cum postrema venit hora, * adsis virgo tunc decora, * Non me duplex mors infestet * Iesus Christus illud praestet.

Tua prece exoratus * idem Pater, idem

Natus, * Idem donet summum Flamen, * quod cum illis regnat. Amen.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede et regna.

Oratio.


DEUS, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai et in eodem loco per sanctos angelos tuos corpus beatae Catharinae virginis et martyris tuae mirabiliter collocasti, praesta quaesumus, ut eius meritis et intercessione ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus.



Sacramenta.



Remittuntur ei peccata multa/ quoniam dilexit multum. (Lucas.)



Confessio sacramentalis.

Admonitio.



AD hoc sacramentum tria necessario requiruntur: 1. Dolor de peccatis, involvens firmum propositum emendationis. 2. Confessio peccatorum coram sacerdote integra, sincera et humilis. 3. Satisfactio sive paenitentia a confessario imposita, quamprimum persolvenda. Ante omnia autem praemittendum est diligens examen conscientiae; adeoque, priusquam confessionem in templo peragas, domi pro confessione te diligenter parabis reflectendo accurate, in quibus contra Deum, te et proximum peccaveris: cogitatione, verbo, opere,

omissione. Si putas te non posse e memoria integre tua peccata confiteri, in charta ea tibi (quae ne veniat in aliorum manus cave) omnia describe; ante hanc praeparationem elice hunc affectum.

O mi Iesu! mentem meam, * Ut peccata digne fleam * Propter te, illumina. Subiunge etiam **Veni s. Spiritus,** pag. 207.

Post singula peccata annotata dole et dic serio tantum in mente: **Doleo, mi Iesu, amore tui!** vel: **Doleo propter te.**

In annotandis peccatis haec observa: Semper primo loco ponas peccatum aliquod ex vita praeterita, deinde illud, cuius te maxime pudet, ut te et pudorem propter Deum mortifices; peccata nullis verbis tegas, sed simplicibus verbis, ut statim intellegantur, aperias; peccatis gravioribus, maxime mortalibus, numerum, quotiens ea commiseris, adicias. Si de quo dubitas, illud tamen annotabis, ut confitearis. Nullum peccatum gravius omittas, ne sacrilegam facias confessionem. Peccata autem venialia confiteri non teneris (quod sciendum est ad scrupulos evitandos), ea tu tamen semper confitere; saepe enim sunt mortalia, quae nos putamus venialia.

Ante confessionem ipsam, spe de misericordia Dei plenus, dole de peccatis et

propone emendationem sequentibus vel aliis modis praemisso loco intentionis: **Pater noster, qui es in caelis, per hanc confessionem, quam tibi offero cum meritis Christi, beatae Mariae virginis et omnium sanctorum, sanctificetur nomen tuum.**

Qui frequentius confitentur, specialiter attendere debent, ne obiter et ex consuetudine tantum id peragant, sed ut dolorem et propositum serio eliciant, sine quibus confessio est nulla. Ideo considera beneficia Dei et super peccata vitae praeteritae in genere te reflecte.



Preces ad confessionem.

Gratiarum actio.



GRATIAS ago tibi, omnipotens et misericors Deus, quod, spectata summa mea neglegentia, in graviora etiam peccata non cecidi et in hoc miserrimo meo statu, te miserante, non sum mortuus; etsi adhuc ingratum me semper praebui, iam equidem firmiter statuo, memori usque animo pro tantis beneficiis te laudare atque benedicere Deum meum ac Dominum. Suscipe, quaeso, me paenitentem et ad te toto corde contrito

revertentem. Parce, pie Iesu, qui in cruce mortuus es, ut peccatores salvos faceres. Si tu me reicis, quis me recipiet? Miserere mei, Deus, et cor contritum et humiliatum servi tui ne despicias.

Oratio ante examen conscientiae.

EGO, o aeterne Parens, misericordiarum Pater et Deus totius consolationis, actionum mearum pondera examinaturus vehementer exhorreo et contremisco. Nam si quid vel studio occultavero vel per oblivionem vel ignorantiam omisero, ignorare non potes. Ita enim tibi perspecta est vitae meae condicio, ut nullus actus, nulla cogitatio effugere acutissimam aciem tuam possit. Tu enim Deus cum sis, circumveniri aut deludi nulla ratione potes. Claustra penetras, abstrusa reseras, corda rimaris. Quare a te humiliter postulo, ut omnia peccata, quibus me turpissime obstrinxi, possim per gratiam tuam recordari et ea deplorare. Emitte, piissime Deus, meritis immaculatae virginis Mariae et sanctorum tuorum lucem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos et peccata mea ostendat, quae iam confiteri me oportet. Concede mihi Spiritum tuum sanctum, qui refricet mihi memoriam eorum, quae per-

petravi, et acerbissimum animi dolorem augeat. Eia ergo anima me[illegible], intra secretum mentis tuae cubiculum et praeter te Deumque reliqua omnia exclude.

Examen conscientiae.

1. Inquire cogitationes tuas. — Sciscitare ex te, num cogitaveris superbe, invide, iracunde, suspiciose, impatienter, timide, infideliter; num ceperis consilia avaritiae et vanitatis. In cogitatis et cupiditatibus inhonestis reminiscere 1) num tua sponte eorum fueris auctor eaque advocaveris, 2) num ea, si fortuito orta sint, tua sponte tenueris, 3) utrum solum modo brevissima voluptas fuerit an etiam propria consensio accesserit?

2. Verba tua. — Verba immunda, captiosa, ambigua, peccatum ostentantia; sermones duros, minima re ad reprehendendum contentos, suspicaces, existimationem alicuius lacerantes, calumniosos; num adhuc neglexeris retractationem necessariam; mendacia, adulationes, iusiurandum et asseverationes leves, abusum verborum sanctorum, maledictiones, exsecrationes, sermones contumeliosos vel acerbos, fremitus et contradictiones inhumanas in parentes et magistros, pertinaciam, garrulitatem, proditionem rerum

arcanarum tibi creditarum. Erantne inconsulti sermones illi impii an cogitate et consilio prolati?

3. Opera tua. — Certationes, vexationes alterius, duritiam infestam, ultionem, inhumanitatem, iniustitiam, illiberalitatem impudentem, inoboedientiam contra parentes et praepositos, furtum, fraudem, num retinueris aut laeseris res proprias aliorum (etiam parentum et cognatorum), iniurias, conversationes cum malis, societates et delectationes periculosas et vetitas, intemperantiam, ebrietatem, peccata immunda, laesionem pudicitiae, scandala.

4. Neglectiones tuas. — Neglectionem orationis, cultus divini debiti, teporem et segnitiam; neglectionem laboris cotidiani et officiorum muneris, curae debitae saluti aliorum; violationem mandati ieiunii et abstinentiae; profanationem dominicarum et festorum, neglectionem ss. sacramentorum; secordiam, taedium vel inopiam bonae intentionis in opere cotidiano. Num pro facultatibus tuis stipem spargens inopibus inserviveris, ut proberis in severo iudicio, cum Christus ad eos, qui largitiones neglexerint, loquetur: Abite.

5. Peccata aliena. — Laudem malorum,

taciturnitatem repugnantem conscientiae, auxilium ad vetita; num aliis peccati occasionem dederis?

Imprimis cogita, num in ultima confessione necessaria praetermiseris, consuetudinis vitiis inserviveris, occasiones peccati tenueris. Quaere ex te causam delictorum imprimis gravium et inopiae correctionis tuae.

Oratio pro contritione filiali impetranda.

DOMINE Iesu Christe, qui me laqueis aeternae mortis irretitum in libertatem vindicasti, ego peccatorum omnium ingratissimus, meritorum inanissimus, flagitiorum plenissimus ad immensum tuae benignitatis abyssum recurro suppliciter. Scio me omni timore postposito iussa tuae sanctissimae legis repudiasse. Violavi enim sanctitatem animae, dona et gratias tuas profudi ac perdidi, cum tu, Pater pientissime, tam benefica voluntate mihi provideris, tot me beneficiis cumulaveris et tamquam pupillam oculi ab incunabulis tutatus sis. Sed, o Deus clementissime, ego iniquitates meas non occulto, immo ostendo, non excuso, sed accuso. Ego reus, ego accusator meus. Peccavi in caelum et coram te, non sum dignus vocari

filius tuus. O caecam insaniam, o dementissimam temeritatem! Quem fructum rettuli ex illis, de quibus nunc erubesco? Delectatio occidit et praeteriit, vulneravit et transiit, miserum fecit et abiit.

Nunc vere cognosco, solam esse libertatem non servire peccatis et eum, qui facit peccatum, servum esse peccati. Quapropter confundor in me ipso. Non sum dignus oculos in caelum levare, sed magis dignus essem illos plorando amittere. Exaudi, Domine, placare, Domine, attende et fac mecum misericordiam. Ad te confugio, qui aliquando a te fugi, aspice me infelicem, pietas immensa! Detestor omnia peccata mea, quia te, Domine, summum et amabilissimum bonum, offenderim; firmissime statuo et propono me emendare.

Oratio immediate ante confessionem.

PER sanctorum omnium angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum ipsiusque Filii tui matris Mariae merita, orationes, intercessiones et suffragia infunde cordi meo, clementissime Deus, compunctionem fontemque lacrimarum, ut possim delicta facinorum meorum

plenarie confiteri et eorum perfectam remissionem et veniam consequi. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

DOMINUS sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter confitear peccata mea in nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Oratio post confessionem.

SIT tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper virginis genetricis tuae Mariae et omnium sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in caelo. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

DIRUPISTI, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Pepercisti animae meae, remisisti iniquitates meas, quoniam Deus miserationum tu es. Magna est, Domine, miseratio tua et misericordiae tuae non est numerus. Revertor ad te, o benignissime Iesu, cum leproso, quem sanasti, et gratias ago,

quod a fetida peccatorum meorum lepra me mundare dignatus es. Sit nomen tuum, o Iesu, benedictum in saecula! Vere tu Iesus es, hoc est Salvator, qui neminem a te quantumlibet flagitiosum repellis, qui omnes serio paenitentes in gratiam recipis et in numerum filiorum tuorum adscribis. Dealbavi stolam meam in sanguine tuo, nolo amplius eam coinquinare. Adiuva imbecillitatem meam, ne in pristina peccata relabar. Custodi animam meam et numquam amplius a te me separari permitte. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Hic paenitentiam iniunctam persolvas.

SUSCIPE confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Iesu Christe, unica spes salutis animae meae, et da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrimas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes neglegentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus, suscipe preces meas. Salvator mundi, Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi, unde me damnare

potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula eius, sana vulnera. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper virginis genetricis tuae Mariae et sanctorum tuorum lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet, atque iuvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.



Altera devotio circa sacram confessionem sanctae Gertrudis.

Christus aiebat b. Gertrudi: Ut cognoscas, quanta dignatione accepto, quod anima fidelis post transgressionem respiciens compungitur pro transgressione cum proposito de cetero pro posse suo peccata cavendi, scias inaestimabilem esse dulcedinem, qua cor meum afficitur, quotiens aliquis cum maerore recolit se per elongationem cordis vel dissolutionem verborum aut operum inuti-

lium recessisse a me. Vide singula verba, quae cor compunctum in cogitatione pertractat, hoc vel simili modo dices: »Eia, heu me miserum, qualiter consumpsi tempus istud Domino Deo amatori meo non intendo!« Ego in persona humanitatis meae quasi discantum suavissimum faciens per modulos divinitatis meae superexcellentissime decanto Deo Patri meo et in admirationem provoco omnem caelestem militiam spirituum beatorum. Et inde sit gaudium in caelo super uno peccatore paenitentiam agente. Et cum quamlibet animam fidelem per praesentis vitae terminum deduco ad caeli palatium, illa via mirabili, scilicet ingressu caeli, inter alia, quibus ipsi blandior, oblectamenta infundo illi omnia gaudia, quae tam ego, quam omnis caelestis exercitus umquam persensit diversis horis de qualibet ipsius compunctione.

Accusatio sui ob multiplicia peccata sua.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, en ego infelix, indignus ac perfidus peccator, multipliciter tibi rebellis et ingratus, venio ad te Deum, Creatorem ac Redemptorem meum, accusans meipsum

et confitens tibi omnes abominationes et scelera mea. In spiritu humilitatis et in animo contrito confiteor tibi, quod saepe nomen sanctum tuum blasphemaverim, praecepta tua transgressus fuerim, voluntatem tuam contempserim, dona et opera tua in me destruxerim, animam et corpus meum polluerim, gratias ac beneficia tua in contumeliam tuam verterim et innumeris peccatis et iniquitatibus meis multipliciter te offenderim. Et in his gravissimis peccatis et sceleribus, in huiusmodi pravitate et perfidia, heu nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate et longanimitate tua, seducens cor meum et inquinans animam meam. Et non solum hanc meam, sed plures quoque alias animas, quas tu sanguine tuo pretioso mercatus es, ego malis meis exemplis et persuasionibus tibi abstraxi et hosti tuo diabolo necandas tradidi. Ecce Domine Deus meus, ante pedes tuos prostratus iacet nefarius hostis tuus; ecce hic habes perversum illum nebulonem, qui se ultro tibi captivum tradit. Fac igitur de me, quidquid tibi placet; nam integra voluntate rigori iustitiae tuae me subicio paratus, quamcumque de me sumere volueris vindictam, lubens subire; tantummodo miserere mei et in gratiam tuam me recipe.

Numquid non Pater meus es tu, cuius pietas non potest concludi, cuius miserationes numquam continere se possunt? Ego vero licet filii nomine indignum me fecerim, non tamen alium Patrem praeter te agnosco. Quapropter ad pedes misericordiae tuae prostratus et per omnipotentiam, sapientiam et bonitatem tuam obsecro te, ignosce, remitte, et condona mihi offensas meas gravissimas et in gratiam tuam me rursus admitte, dulcis Iesu, Fili Dei vivi, qui te advocatum et mediatorem inter nos et Patrem tuum constituisti; obsecro te per caritatem illam, quae te de caelis traxit in uterum Virginis et de eodem ad passionem et ignominiam crucis; obsecro te per omnes contumelias et iniurias tibi irrogatas atque per omnes et singulas pretiosissimi sanguinis tui guttas pro nobis effusas, ut mihi peccatorum meorum veniam impetres atque Patri tuo plene me reconcilies. Amen.

Alia accusatio.



INSCRUTABILIS abyssus pietatis, Domine Deus meus, peccavi super numerum arenae maris et non sum dignus intueri altitudinem caeli. O me fetidam peccatorum sentinam! O me sordidum ca-

daver putredinis! Multiplicatae sunt iniquitates meae et sicut onus grave gravatae sunt super me. Regnat in me superbia, vana gloria, luxuria, avaritia, invidia, gula, acedia et omne malum. Quid faciam miser, quo fugiam a facie irae Dei! Heu Domine Deus meus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas animae meae! Cui conquerar, o Domine, omnia mala mea adversum me, nisi tibı Salvatori et Redemptori animae meae! Iesu, Fili Dei vivi, miserere mei, quia nihil tibi est impossibile, quam non posse miseris misereri. Redde mihi, dulcis Iesu, gratiam tuam et recipe me in amicitiam tuam. Non secundum merita mea, sed secundum bonitatem tuam respice in me. Doleo vehementer de peccatis meis, quibus te benignissimum Deum meum offendi. Et quia dolor meus nimis exiguus est, hinc opto et desidero, (iusta tamen intentione) quod omnem dolorem et odium erga peccata, quae in omnium damnatorum cordibus inveniuntur, cordi meo includere atque supremo odio peccata aversari possem. O Domine Deus meus, odi, aversor, exsecror et abominor omnia peccata mea tali affectu et voluntate, qua tu ipse ea exsecraris et abominaris, et utinam dolor meus tantus esset, quantum tu

esse desideras! In cuius dignam suppletionem offero tibi illam contritionem, tristitiam et aversionem a peccatis, quam Filius tuus in monte Oliveti de omnibus mundi peccatis in se sensit et sustinuit, dum prae vehementia doloris et angustiae sudor sanguineus de corpore eius emanavit et omnia viscera eius commoverentur, rogans, ut illam contritionem in suppletionem meae, quam non habeo, acceptare meque a peccatis meis absolvere digneris. Amen.

Vera contritio.

BENIGNISSIME Deus, ego indignissima creatura tua, ex mera malitia et perversitate divinam bonitatem tuam tam multipliciter offendi, quod iuste me abominari et tamquam capitalem hostem tuum persequi deberes. O Christe Iesu, fateor, quod indigne egerim et malum nimis coram te fecerim; attamen tam vehementer super hoc doleo, quod malim quodvis malum subire, quam deinceps vel unico peccato mortali te offendere. Non doleo propter graves nimiasque poenas, quas commerui, sed solummodo, quia te tam dulcem, tam amabilem, tam benignum et fidelem Dominum, qui mihi numquam nec minimum malum fecisti,

sed omnibus bonis ditasti, tam graviter tamque iniuste offenderim. Ignosce mihi, misericordissime Iesu, propter amorem illum, quo Patrem pro persecutoribus tuis rogasti, quia paratus sum, omnem iniuriam, quam tibi peccando irrogavi, quantum possibile est, reciproco obsequio recompensare. Condono ergo ex amore tui omnibus, qui umquam me offenderunt firmiterque statuo, universa peccata fugere eorumque occasiones declinare ea denique, quae contra immensam bonitatem tuam commissi in amaritudine animae meae confiteri ac te Deum meum propter temetipsum super omnia in aeternum amare. O Iesu, amor meus, amo te super omnia ex toto corde et quia amo te, paenitet me, quod ego vilissima creatura te Deum, cui omne peccatum quam maxime displicet, umquam offenderim. Revoco, dedestor quaecumque contra te feci cogitatione, verbo, opere et ommissione proponoque quodvis peccatum integre confiteri et vitare.

Brevis confessio peccatorum.

Cum b. Gertrudis quadam vice hanc confessionem fecisset, apparuit ab omni macula peccati super nivem candidata.


ECCE Domine mi, ego indignus peccator fateor, eheu, cum dolore, ex hu-

mana fragilitate me contra tuam divinam omnipotentiam multipliciter deliquisse ac contra tuam divinam sapientiam per ignorantiam diversimode peccasse nec non et tuam inaestimabilem benignitatem me multis modis malitiose irritasse. Ergo, Pater misericordiarum, miserere mei et da mihi de tua omnipotentia vires resistendi omnibus, quae tibi sunt contraria; et de tua inscrutabili sapientia da mihi caute praevenire omnia, quae oculos tuae pietatis in me offendere possent, atque ex superabundantia pietatis tuae concede mihi tam stabili fidelitate tibi adhaerere, ut numquam vel in minimo a tua voluntate discordem. Amen.

Petitio ad Jesum.

Ut ipse per suam ss. conversationem satisfaciat pro nostris excessibus. Ex exerc. b. Gertrudis.

O IESU piissime, plene pietate et misericordia, qui numquam spernis miserorum suspiria, heu! deperiit et sine fructu abiit tota vitae meae conversatio nec quidquam digne egit in conspectu tuo. Ad te igitur confugio, tuam clementiam exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple. Tu per puras clarissimorum oculorum tuorum lacrimas

ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas. Tu per dulcem benedictarum aurium tuarum pietatem ablue omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per puram sanctissimorum cogitatuum tuorum intentionem ardentemque transfixi cordis tui amorem ablue omnem malarum cogitationum mearum et criminosi cordis mei reatum. Tu per vividam dulcium verborum benedicti oris tui potentiam absterge omnem polluti oris mei offensam. Tu per operum tuorum perfectionem et manuum tuarum crucifixionem ablue omnem impiarum manuum mearum offensionem. Tu per dolorosam benedictorum pedum tuorum fatigationem dirissimamque perforationem ablue omnium peccantium pedum meorum maculationem. Tu per vitae tuae nobilem innocentiam puramque sanctitatem ablue omnem corruptae vitae meae fetidatem. Tu demum per pretiosissimi sanguinis tui nobile lavacrum ablue, emunda et exstingue omne cordis et animae meae piaculum, ut per sanctissima merita tua mundus inveniar et deinceps immaculatus omnia mandata tua servare merear. Amen.



Oratio devota,

qua peccator per passionem Christi rogat sibi ignosci.

ADORO et veneror te, mitissime Domine Iesu, in crucis patibulo pendentem et sanguinem tuum roseum pro expiando mundi scelere fundentem. Accuso me in contritione cordis mei de multifaria tibi a me irrogata iniuria et infidelitate. Bone Iesu, fateor, quod propter nefaria scelera mea passionis et mortis tuae sim causa, quodque in passione tua magis dolorosa tibi fuerint peccata mea, quam impiorum lictorum tunsiones et verbera. Tibi igitur confiteor et revelo malitiam et iniquitatem meam et in spiritu humilitatis ante crucem tuam prostratus veniam deprecor. Omnes iniquitates et peccata mea demergo in abyssum misericordiae et clementiae tuae et in cruenta vulnera tua, quae accepisti meae salutis causa, orans, ut illa pretioso sanguine tuo et virtuosa aqua sanctissimi lateris tui ita abluere et abstergere velis, ut nulla apud te eorum memoria perseveret. In perfectam emendationem et expiationem omnium criminum, quae ego cogitationibus, desideriis et perversis affectibus cordis mei commisi, offer

aeterno Patri tuo immaculatum cor tuum, cum omni bono, quod in se continet. Et pro omnibus inutilibus et noxiis verbis, quae ore meo locutus sum, exhibe omnia sacratissimi oris tui exercitia; atque pro omnibus perversis operibus, quae perpetrarunt manus meae, ostende ei perforatas manus tuas tuaque innocentia Deum Patrem placa, ut per te perfectam merear criminum meorum obtinere indulgentiam. Pro quo sit tibi exhibitio suavitatis illius, quam trina in Deitate Persona Personae communicat. Amen.

Alia oratio.

DOMINE Iesu Christe, supereffluens fons omnis amoris et misericordiae, ecce ego misera et infelix creatura tua revertor iterum ad te et in amaritudine cordis mei accuso me, quod proposita mea non servaverim, sed in pristina mea peccata et errores relapsus sim, neglegentissime tibi serviverim, in devotione et amore tui nimium tepidus et neglegens exstiterim, rebus vanis et transitoriis me nimium implicaverim, terrenas et noxias delectationes nimium quaesierim atque in his aliisque innumeris peccatis et neglegentiis meis te dulcissimum sponsum animae meae multipliciter offen-

derim. Tua beatitudo, Deus meus, quamvis nec crescere nec decrescere possit, cum bonorum nostrorum non egeas, tam culpabilis tamen tamque neglegens vita mea (si dici potest) cessit in notabile detrimentum laudis et gloriae tuae. Quid super his sentiat vel saltem sentire deberet cor meum, tu Deus meus, optime nosti. Unde et in amara contritione cordis mei confiteor tibi, Pater benignissime, omne id, in quo tu me reum nosti, humillime rogans, ut quidquid ex malitia, nequitia et neglegentia contra te deliqui, suppleat vis amoris illius, cuius plenitudo habitat in eo, qui sedens ad dexteram tuam factus est os ex ossibus meis, caro de carne mea. Nam per eum in virtute Spiritus sancti cum ea nobilitate compassionis, humilitatis et reverentiae, sicut dedisti nobis posse, per eundem offero tibi querimoniam infelicitatum mearum nimium multarum, quibus premor, contra tam nobilem bonitatem tuam divinam, quam cogitatu, verbis et factis multimode impugnavi, offerens et exhibens tibi in suppletionem omnium neglegentiarum et in plenam abolitionem omnium iniquitatum mearum excellentem illam dilectissimi Filii tui orationem, quam prae amoris angustia sanguinei sudoris sui testimonium

reddidit attentam et innocentia purae simplicitatis suae devotam et ardens amor divinitatis efficacem. Amen.

Oratio ante confessionem.

DULCISSIME Iesu, qui ex amore salutis humanae sacramentum confessionis ad consolationem omnium peccatorum instituisti, ut eius virtute ab iniquitatibus nostris emundari amissamque gratiam tuam reciperare valeamus, ecce ego miserrimus peccator, qui denuo multipliciter deliqui animamque meam omnimodis sordibus inquinavi, revertor ad te atque cum firmissima spe et fiducia remissionis peccatorum meorum hoc tam nobile sacramentum recipiam, nec non et de omnibus et singulis peccatis, quantum quidem memoriae meae occurrere potuerunt, cum summa humilitate animique contritione coram sacerdote tuo vices tuas gerente me accusabo, nec ullum peccatum mortale quantumcumque foedum et turpe scienter reticebo. Illa vero, quae memoriam meam subterfugerunt, sicut et omnia peccata mea huic confessione inclusa velim eaque tibi tamquam pontifici omnium maximo confiteor atque coram tota caelesti curia me perfidum et crimine laesae maie-

statis tuae reum proclamo. Rogo ergo te, Pater clementissime, digneris eodem miserationis oculo, quo Filium tuum in monte Oliveti in faciem suam prostratum totoque corde de omnibus hominum peccatis contritum respexisti, me miserum intueri totoque cordis affectu veniam petentem exaudire. In suppletionem contritionis meae, quam, ut par est, non habeo, offero tibi vehementem illum dolorem, quem Unigenitus tuus toto tempore mortalitatis suae super omnibus mundi peccatis in corde suo dulcissimo semper persensit, maxime cum in monte Olivarum prae eiusdem vehementia sanguinem sudaret, rogans, ut in balneo eiusdem sacratissimi cruoris animam meam ab omnibus iniquitatibus suis abluas atque nivea puritate tua condecores. Amen.

Brevis et efficax modus eliciendi contritionem.

O DULCIS Iesu, doleo de peccatis meis, et quod mihi de vero dolore deficit, digneris supplere pro me Deoque Patri omnem dolorem, quem super meis totiusque mundi peccatis habuisti, offerre. Amen.

Ingressurus confessionale dic:

Ecce Domine, ego vilis peccator, pau-

per, malus et indignus venio ad te, superefluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et munder ab omni peccato. Amen.

Post confessionem.

Psalmus 102.

BENEDIC anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino omnes angeli eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius; benedic anima mea Domino. Gloria Patri etc.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae ex toto cordis ac mentis affectu gratias ago pro exuberantissima bonitate tua, quam ostendisti super me, dum tam clementer peccata mihi indulsisti et gratiam tuam mihi retribuisti. Benedicta sit divina pietas tua et benedictus sit incomprehensibilis amor dilecti Filii tui, qui eum induxit hoc tam facile efficacissimumque remedium, quo a peccatis nostris liberari valeamus, instituere. Unde in unione omnium gratiarum actionum, quae tibi ab omnibus vere paenitentibus habitae sunt, concino tibi laudes et gratiarum actiones ex parte omnium caelestium, terrestrium et infernorum nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ante paenitentiam.


UONIAM, o mitissime Deus, multiplicibus peccatis et neglegentiis meis maximam tibi irrogavi iniuriam, ideo etiam

paratus sum divinae iustitiae tuae perfectam satisfactionem, secundum quod vires meae se extendunt, rependere. Igitur paenitentiam illam a confessario nomine tuo mihi impositam fideliter summaque cum devotione persolvam. Et utinam tali devotione et amore eandem persolvere possem, ut maius tibi beneplacitum et oblectationem causarem, quam tibi per peccata mea iniuriae et contumeliae irrogavi. Quod ut perficere valeam, ideo unio et immergo hanc meam paenitentiam in omnia opera satisfactoria, quae dilectus Filius tuus triginta tribus annis, ieiuniis, vigiliis et orationibus perfecit et in unione omnium illorum offero tibi hanc orationem et paenitentiam meam. Respice igitur, amantissime Pater, super me obligatissimum debitorem tuum sacris pedibus tuis advolutum irrogatasque tibi iniurias reciproco amoris obsequio rependere satagentem, tantamque mihi concede virtutem et gratiam, ut iuxta tuum sanctum beneplacitum hanc orationem perficiam. Amen.

Hic ora paenitentiam tibi iniunctam eamque sequenti oratione conclude:

SANCTISSIME Pater, in unione omnium paenitentiarum, quae umquam pro gloria

nominis tui adimpletae sunt, offero tibi hanc meam confessionem et satisfactionem rogans, ut eandem per merita passionis dilecti Filii tui perque intercessionem b. Mariae virginis et omnium ss. apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum ratam, mihi salutarem habere et efficere digneris. Et quidquid mihi defuit de sincera praeparatione, perfecta contritione, fideli et dilucida confessione, id omne commendo dulcissimo cordi Unigeniti tui tamquam bonorum omnium gazophylacio, ex cuius abundantia omne debitum tibi plene suppletur, ut per idipsum omnes defectus et neglegentiae meae in susceptione huius sacramenti commissae plene et perfecte ad aeternam laudem tuam suppleantur, meque tam efficaciter absolvere velis in caelis, sicut minister tuus tua auctoritate me absolvit in terris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

Amen.



Tertia devotio circa s. confessionem.

Praeparatio ad confessionem.


URGAM et ibo ad Patrem meum et dicam: Peccavi in caelum et coram te, non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de paenitentibus tuis et mitte mihi hodie unam solummodo micam de mensa infinitae tuae misericordiae, ut peccata mea agnoscere, deflere dignamque de illis paenitentiam agere possim.

Gratiarum actio.

TIBI, o liberalissime Deus, immensas ex toto corde ago gratias pro omnibus beneficiis, quibus me per totam meam vitam tam clementer affecisti. Creasti me, cum non essem, et postquam perieram, homo pro me factus tuo pretioso sanguine redemisti me; in sacro baptismo sanctificasti me; in ecclesia catholica educasti me; a poenis aeternis, quarum centies millies iam reus eram, praeservasti me. Pro his igitur omnibus

proque infinita bonitate tua laudo te, glorifico te atque in debitam gratiarum actionem infinita merita et obsequia Filii tui una cum meritis omnium sanctorum offero divinae tuae maiestati, unice optans et rogans, ut me semper gratum exhibeam.

Luminis petitio.

ILLUMINA me, sancte Spiritus, ut cognoscere valeam omnia peccata, tam in priori confessione omissa, quam hactenus commissa, quibus totiens divinam maiestatem tuam tam petulanter, heu! offendi. Da, ut ea cum vero cordis dolore et contritione confitear, sicut oportet coram te et sacerdote ministro tuo, ac plene pro iisdem satisfaciam eaque emendem ad laudem et gloriam tuam et benedictae Matris tuae ac sanctorum omnium ac salutem animae meae. Amen.

Examen conscientiae.

1. Quid peccavi contra Deum: cogitatione, verbo et opere?
2. Quid contra proximum: cogitatione, verbo et opere?
3. Quid contra meipsum: cogitatione, verbo et opere?
4. Quid peccavi omittendo aut neglegendo?

Actus contritionis.

O AMABILISSIME Iesu, amor meus et Deus meus, pro me crucifixe, amo te super omnia toto corde ob infinitam bonitatem omnesque divinas perfectiones tuas! et si possem, omnium angelorum et sanctorum amore te amarem; nam omni possibili amore es dignissimus. Et quia sic te amo, paenitet me et toto mentis affectu doleo, quod ego vilissima creatura tua contra optimum Deum meum, cui omne peccatum summe displicet, umquam peccaverim. O si te non offendissem! O non egissem id, quod sanctissimae tuae voluntati et amori sic contrarium est! Revoco, retracto, detestor, et quantum possum, annihilo, quidquid feci cogitatione, verbo, opere et omissione contra te cupioque ac desidero tota anima mea me id non fecisse. Heu, paenitet me iterum atque iterum et millies paenitebitque tota vita mea. Et quamvis nulla poena aut infernus esset, nullum caelum, quia tamen tua amabilissima bonitas a me (heu mihi ingrato peccatori!) offensa fuit, ideo doleo ex toto corde, mi Deus, quod te, quem super omnia amare semper debui, tamen offenderim; post tot beneficia a te mihi prae-

stita ad tot peccata vitae meae praeteritae, haec insuper addiderim. Propono firmissime cum gratia tua, sanctissimae tuae legi post hac in omnibus oboedire, peccatum quodvis super omne aliud malum vitare, integre confiteri, paenitentiam iniunctam explere; proximo meo, si quid teneor et debeo, satisfacere; offendendi te occasionem, quantum possum, fugere. Condono omnibus omnes iniurias et offensas mihi factas, sicut meas a te mihi peto condonari. Offero tibi vitam et actiones meas bonas, cum gratia tua a me faciendas, et omnes afflictiones (quas iuste pro peccatis meis mereor) a me sustinendas in aliquam compensationem tot offensarum et iniuriarum a me tibi illatarum. Insuper offero tibi intentissimos compunctionis, contritionis et detestationis affectus, quos umquam vere paenitentes et sua vel aliena peccata deflentes elicuerunt et deinceps elicient, quos omnes, si ego solus possem, et si tibi placeret eos mihi dare, et alios omnes possibiles elicere desidero. Offero, inquam, haec omnia in unione lacrimarum tuarum, quibus, o amantissime Iesu, nostra delicta deflevisti, laborum item et cruciatum, quibus eadem expiasti, et omnium meritorum tuorum, per quae spero veniam pec-

catorum meorum et uberem gratiam a misericordissimis visceribus tuis, ut me emendem et piam ac bonam vitam instituam. Amen.

Alius actus contritionis.

O IESU infinite amabilis, doleo propter te, quod totiens nunc et tota vita offenderim te; a peccatis meis in sanguine tuo lava me; amo et amabo ex hoc in aeternum te; non permittas me separari a te; sim totus tuus, et tu totus meus in aeternum. Amen.

O Deus meus, doleo ex animo de omnibus peccatis meis idque maxime, quia divinae tuae displicent Maiestati. Statuo firmissime vitam meam cum gratia tua emendare. Utinam prius e vita excedam, quam ut tua sancta gratia deinceps excidam. Unde a te benignissime Iesu, per sanguinem tuum ss. suppliciter peto, ut, si vides, qui omnia vides, quod aliquando post quotquot annos te offensurus essem, potius ex hac vita me tollas, quam permittas me in peccatum et tui offensam incidere. Amen.

DOMINE Iesu Christe, verus Deus et homo, Creator ac Redemptor meus. Paenitet me ex toto corde meo, quod offen-

derim te, Dominum et Deum meum, quem amo super omnia. Et propono firmiter, amplius non peccare omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri et implere paenitentiam, quae mihi fuerit iniuncta. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem ac mortem tuam totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi; merita quoque b. Mariae virginis et omnium sanctorum atque omnia opera mea et totam vitam meam. Et confido in bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere tibique perfecte usque in finem servire valeam. Qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis ac regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Propositum.


IESU, Deus animae meae, melius est mihi mori millies, quam vel semel te, Deum meum tam bonum, Redemptorem tam benignum, offendere. Absit a me, ut te novis posthac offensis irritem. Non amplius indulgebo ebrietati, non odiis, non luxuriae, non detractioni, non amplius pertinaci in-

oboedientiae etc. etc. Vade post me satana, nullum mihi erit posthac commercium. Valete vanitates, propter quas Deum meum tam atrociter offendi. Fixum est, irrefixum peccare numquam; sed sicut tibi soli, Deus meus, hactenus peccavi, ita tibi soli vivam, tibi soli moriar. Te solum in terris, te solum amabo in caelis, quia tu es Deus meus et omnia.

Oratio devota S. Thomae de Aquino immediate ante confessionem.

D te, fontem misericordiae Deus, accedo peccator. Ergo digneris me lavare immundum. O Sol iustitiae illumina caecum. O aeterne Medice, cura vulneratum. O Rex regum, indue spoliatum. O Mediator Dei et hominum, reconcilia eum. O Pastor bone, reduc errantem. Da, Deus, misericordiam misero, indulgentiam criminoso, vitam mortuo, iustificationem impio, unctionem gratiae indurato. O clementissime, revoca fugientem, trahe renitentem, erige cadentem, tene stantem, conduc ambulantem. Ne obliviscaris te obliviscentem, ne deseras te deserentem, ne despicias peccantem. Ego enim peccando te Deum meum offendi, proximum laesi, mihi non peperci. Peccavi, Deus meus,

fragilitate contra te Patrem omnipotentem, ignorantia contra te Filium sapientem, malitia contra te Spiritum sanctum, et his offendi te Trinitatem excellentem. Heu mihi misero! quot et quanta commisi, qualia perpetravi! Dereliqui te, Domine, de bonitate tua conqueror, amore malo accedente, timore malo humiliante, quibus potius te amittere, quam amatis carere, potius te offendere, quam timenda non incurrere volui. O Deus meus, quantum nocui verbo et opere, peccando latenter, patenter et contumaciter! Quare pro mea fragilitate supplico, ut non attendas meam iniquitatem, sed tuam immensam bonitatem, et remittas clementer, quae feci, donans dolorem pro praeteritis et cautelam efficacem de futuris. Amen.



Post confessionem.

SIT tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper virginis genetricis tuae Mariae et omnium sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis,

suppleat pietas et misericordia tua et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in caelo. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio post confessionem.

O IESU, infinite amabilis, unde mihi tam vili terrae vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo, tam prodigo filio, tam infideli sponsae tanta miseratio tantae benignitatis; tanta dignatio tantae maiestatis; tanta dilectio tantae caritatis, ut me totiens a te longe errantem oculis misericordiae tuae respicere, erroneum reducere, caecum illuminare, lapsum erigere, et ad pacis osculum invitare digneris.

AGNOSCARIS, ameris et glorificeris infinite ab omnibus, in omnibus, super omnia, gratis propter te in aeternum et ultra. Quomodo multiplicas super me hucusque misericordiam, caritatem et bonitatem tuam? Agnosco, veneror, amplector omniumque creaturarum possibilium possibili affectu gratias ago agamque in aeternum.

QUAM parum et imperfecte te infinito honore, amore, obsequio dignissimum redamavi, glorificavi. Insuper quotiens sic X.

offendi. Agnosco, detestor ingratitudinem meam tantam erga te atque ex animo doleo propter te, ignosce, supple per te. Ex momento hoc te tuumque sanctissimum beneplacitum brachiis dilectionis et omni possibilitatis affectu (licet me velles annihilare aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet) artissime tenebo constringamque in aeternum.

IESUS, Deus cordis mei, da gratiam, omnia peccata, maxime hoc N., emendandi, in hac N. virtute proficiendi, hoc N. opus reformandi, in sancta vocatione perseverandi. Fac, ut in te vivam, in te moriar, in te perennem. Sim, obsecro, totus tuus et tu meus, o Iesu, in aeternum per merita tua, beatae Virginis et omnium sanctorum.

Protestatio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, ego ingratissimus peccator coram ss. virgine Maria, angelo custode et tota caelesti curia tibi Deus, cordis mei, (quem ubique praesentem agnosco venerorque) me sisto ac protestor, nolle me umquam consentire, non modo facinori committendo, sed ne cogi-

tando quidem, quantumvis adversarii vim inferant. Detestor, exsecror, abominor omnes illas foeditates et spurcitias. Frustra cogis, foede tentator, daemon spurcissime. Malo mori, quam foedari, malo dehiscente terra absorberi, quam ut turpi delectationi vel ad momentum consentiam. Ita decretum, ita constitutum sit. Adeste, o Maria, o angele, o patroni castitatis meae; ita annuite superi! Tuque voluntatem imprimis meam clare testatam e caelo confirma, bone Iesu! quod per sanguinem tuum te supplex obtestar. Amen.

Alia oratio.

REGRESSUS sum, amantissime Iesu, sicut filius prodigus ad brachia et amplexus tuae bonitatis; ah miserum me! quae nubes tam densa affectus depravati efficere potuit, ut non viderem et amarem te solem veritatis! Caecus fui, cum te offendi, et amavi caecitatem meam. O infelix tempus, in quo te non cognovi! o misera caecitas, in qua te non vidi! o nefanda surditas, in qua non audivi voces tuas? o durum et infatuatum cor, quod se immiscuit pulchritudini et amori corruptibili tuarum creaturarum, te deserens, qui es pulchritudo et bonitas aeterna. Sed

o bonitas infinita, tu mihi oculos aperuisti, ut agnoscerem et horrerem peccata mea omnia propter te; ut cognoscerem et amarem te super omnia. Sero quidem te amavi, amor aeterne, melius tamen est sero quam numquam, faciam, quod numquam feci, exhibeo me ex tota anima tibi gratum. Procul hinc esto vita vetus, procul profanae deliciae, procul honores vani, procul omne peccatum. Numquam amplius in aeternum recedam ab amicitia et gratia tua, numquam per ullum peccatum elongabor a te.

O amabilissime Iesu! si vis, potes me ita mundare, ut te non offendam amplius, dic mihi, obsecro, quod dixisti olim leproso: Volo, mundare. Dic mihi, quod dixisti paralytico: Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare. Ita propono, ita confiteor, et protestor coram divina tua Maiestate, coram b. virgine Maria et tota caelesti curia, nolo amplius peccare; in aeternum non peccabo cum tua gratia. Volo, Domine, deinceps, ut Christianum et filium tam amabilis Patris decet, bene et pie vivere, ut possim aliquando bene mori, quia talis solet esse mors, qualis fuerit vita; volo deinceps servare praecepta omnia, et malo millies mori quam ullum sponte et deliberate trans-

gredi. Agnosco quidem debilitatem et inconstantiam meam, agnosco perversas mores meas, scio quam sim fragilis, scio quam saepe, quam graviter, quam temere tuam bonitatem offenderim; saepe volui et statui custodire iudicia iustitiae tuae; et eheu! quotiens fui foedifragus et infidelis! Hodie tamen, non meis fidens viribus, sed tua fretus gratia, statuo firmissime, ab hac hora numquam amplius adire loca, in quibus est occasio peccandi, numquam amplius amare ullam creaturam plus quam te. Confirma hoc propositum meum, Deus meus, sigillo gratiae tuae. Amen.

Oratio post persolutionem iniunctae paenitentiae.

SIMILEM gratiam, indulgentiam, misericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es et pro quibus maxime orare teneor et soleo, praesta, o bone Iesu, per infinitam caritatem tuam, per lacrimas, sudorem et sanguinem tuum, per merita b. Virginis matris tuae et omnium sanctorum.

DEFUNCTIS requiem concedendo, ut a peccatis expiati et in refrigerium educti pro me ingrato peccatore te perfectissime ament, laudent et glorificent.

IUSTOS in gratia constitutos conservando, promovendo, adiuvando, ut in sanctitate et iustitia tibi servientes omnibus diebus vitae suae eant de virtute in virtutem, donec beati videant te in caelesti Sion.

PECCATORES omnes oculis misericordiae tuae benigne respiciendo, ad agnitionem, timorem et amorem tui misericorditer convertendo, ut et ipsi dealbati in sanguine tuo misericordias tuas nunc in terris, olim in caelis cum beatis omnibus decantent in aeternum.

Orationes piae ac salutares peccatoris iam paenitentis.


PATER omnipotens, pie et misericors, ego miser et vilis peccator cum tanta humilitate, quanta mihi possibilis est, et cum plena erga immensam bonitatem tuam fiducia, pedibus tuis provolutus, confiteor tibi omnia magna et gravia peccata mea, quibus in hanc usque horam te benignissimum Patrem meum offendi, quod non timui exsecranda illa perpetrare scelera, quae dilectus Unicus tuus tam cruciabiliter diluit et tanta cum amaritudine expiavit.

CONFITEOR etiam tibi, clementissime Pater, multam et magnam ingratitudinem meam, quod ad hanc usque horam tam ingratus fui et tibi et Filio tuo pro omni amore, benignitate et fidelitate, quae mihi exhibuisti; quod tot iam annis in mea mihi malitia et peccatis tam longanimiter pepercisti, omnemque iniuriam et contemptum tibi a me per inoboedientiam et malevolentiam meam irrogata benigne tolerasti nec non tanta cum benignitate me exspectasti ad paenitentiam, quo posses quandoque obtinere cor meum ad exstruendum in eo habitaculum tuum et infundendum illi amorem tuum.

ET quotiens, o Domine Deus meus, pulsasti ad ostium cordis mei per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione alexisti, afflictionibus compulisti? et tamen repulsam passus es et semper dorsum tibi verti, quod ipsum tamen benigne sustinuisti. O quam iuste in abyssum inferni me detrudere poteras, et clementer mihi pepercisti. Mirum certe est, o Pater dulcissime, non crepare prae contritionis vehementia cor meum, dum ista recogito. Mirum est, non esse ultas creaturas tuas omniaque simul

elementa iniuriam et contemptum, quae tibi per multiplices irrogavi iniquitates meas.

SED nunc, fidelissime Pater, miserere, obsecro, mei et converte ad me miserum ac desolatum peccatorem oculos divinae gratiae et clementiae tuae. Aperi mihi viscera benignitatis tuae meque in gratiam recipiens ignosce, quod tamdiu distuli ad te converti. Pande mihi paternum pectus tuum et infunde mihi nutrimentum et confortationem gratiae tuae. Quaeso, Domine Deus, operare nunc velociter in me id, cuius gratia mihi huc usque pepercisti et ad quod ab aeterno me praeordinasti. Nam etsi super numerum sunt peccata mea, etiam misericordiae tuae non est numerus.

MEMENTO, pie Domine, consolatorii verbi illius, quod locutus es per prophetam quemdam tuum dicens: »Tu vero fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me et ego te suscipiam«. Nimirum Pater misericordissime, multum in hoc verbo dulcissimo confido totoque me corde ad te converto, ac si nemini praeterquam mihi soli hoc dixeris meque per ipsum vocare volueris.

EGO namque immunda haec infidelis anima sum, filius hic prodigus et inutilis, qui infeliciter me a te Patre luminum, a quo cuncta bona promanant, abalienavi, ac velut ovis errans a te procul aberravi perditis atque destructis omnibus illis largissimis donis tuis, quae tam profusa mihi concesseras liberalitate.

RELIQUI te fontem aquae vivae et fodi mihi cisternas consolationes externas quaerendo, quae tamen continere non valent aquas, cum omnis temporalis caducaque delectatio velut fumus celerrime evanescat; reliqui etiam te panem vitae et siliquas porcorum edi sequendo appetitus sensuum et bestialibus indulgendo affectibus. Deserui te summum, perfectissimum perenneque bonum et ad terrena labentiaque defluxi. Ideoque vere nudus, pauper, miser et immundus effectus sum et ut iumentum in stercoribus et sordibus meis computrui. Sed oro te, Pater, ne memineris contemptus et iniuriae, quae a me recepisti.

OMNIPOTENS, aeterne Deus, cui soli omnis debetur honor, gloria et gratiarum actio, en, ego infelix, indignus ac perfidus ille peccator, hactenus tibi rebellis

et ingratus, venio ad te Creatorem meum, Deum meum, Redemptorem meum, misericordem Iudicem et Salvatorem meum, accusans meipsum et tibi confitens omnes abominationes, scelera et peccata mea, quibus nomen sanctum tuum blasphemavi. Praecepta tua transgressus sum, voluntatem tuam contempsi, dona et opera tua in me destruxi. Animam et corpus meum pollui. Vires, quibus tibi servire debueram, peccando enervavi et ad serviendum tibi me inutilem inde et infirmum feci, gratias ac munera tua in contumeliam tuam converti.

AD caritatem denique et misericordiam et beneficia tua, quibus vias meas conclusisti, hucusque frigidus atque lapideus perseveravi. Quid, o mansuetissime, quod instinctus tuos tam saepe contempsi? longanimitatem tuam sprevi? Et non solum hanc meam, sed alias quoque animas tuas, quas tu sanguine tuo pretioso mercatus es, pro quibus etiam redimendis tu incarnari, pati, crucifigi ac mori dignatus es, ego tibi iterum abstraxi, seduxi et hosti tuo diabolo animicidae in mortem tradidi.

O MISERICORDISSIME atque mitissime Domine Deus meus, in huiusmodi pravitate

heu! nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate ac omnibus donis tuis, neglegens bene agendi occasiones, omnibusque modis tibi et bonis hominibus rebellis. Heu piissime Iesu, quod modo etiam, cum in honorem et beneplacitum tuum me totum tibi offerre deberem, maneo ingratus totus, veteribus peccatis meis nova cumulans, in servitio tuo trepidus, neglegens et indevotus et a te aversus ad creaturas.

INDIGNUM est igitur, ut oculos meos ad caelum levem, qui etiam omnibus creaturis atque adeo vita ipsa et aura, qua foveor, prorsus indignus sum. Verumtamen quo fugiam a facie tua, Domine Deus meus? ubi abscondam me ab ira tua? quis reconciliabit me tibi? numquid non Pater meus es tu, cuius miserationes numquam continere se possunt, cuius pietas non potest concludi? Ego vero, licet filii nomine indignum me feci, agnosco tamen non alium Patrem, praeter te, Domine.

QUAPROPTER ad pedes misericordiarum tuarum curro, ibi prostratus per omnipotentiam, sapientiam, bonitatem et infinitam misericordiam tuam, qui es miserationum abyssus, obsecro te, ignosce, purifica et libera

me a peccatis meis omnibus per merita vitae et passionis tuae. Recipe me in gratiam tuam, qua me teneas, confirmes, dirigas atque possideas ad gloriam tuam et secundum aeternum beneplacitum tuum.

UT autem exaudiri merear celerius, dulcis Iesu, Fili Dei vivi, qui te Advocatum et Mediatorem inter nos miseros et Patrem tuum constituisti, obsecro te per caritatem illam, quae te de caelis traxit in uterum Virginis et de utero Virginis per passionem ad ignominiam crucis perque singulas guttas tui sanguinis pro me effusi, ut sanctissimae vitae ac passionis tuae meritis atque virtutibus me dones et gratiae tuae intra me iuge habitaculum facias, quo tibi coniunctus, suavissime Iesu, mundo totus moriar, tibi vero soli deinceps vivam et castissimo, ferventissimoque amore inseparabiliter inhaeream. Amen.

De examine particulari.

INTER media varia ad exstirpandum quodvis vitium vel implantandam virtutem ab omnibus spiritualis vitae magistris efficacissimum habetur examen particulare, quod est specialis quaedam diligentia circa

unam aliquam rem. Uti enim pluribus intentus minor est ad singula sensus, ita sollicita unius rei cura solet esse perquam efficax et certa.

Pro materia huius examinis sumatur vel vitium et defectus eradicandus vel virtus producenda, consulto tamen prius confessario, ita ut ea prius sumantur, quae magis negotium facessunt aut magis convenire videntur.

Quod examen sequenti modo institui potest.

1) Mane quam primum aliquis e strato surgit, gratia divina invocata proponere debet cavere diligenter ab illo peccato particulari vel defectu, a quo se vult corrigere et emendare, — vel virtutem acquirendam pro omni data occasione exercere.

2) Hoc propositum de die saepius renovandum exempli gratia pulsu campanae; — si quis lapsus contigerit, percutiat manu pectus, vel alio signo, quod praesentes non notent, doleat de sua neglegentia et iterum proponat in posterum melius attendere.

3) Examen ipsum instituat ante vel post prandium petita divina gratia, ut cognoscat, quotiens sit lapsus et deinde numerum cum dolore annotet.

4) Repetendum est examen noctu ante somnum, collato defectuum numero cum lapsibus tempore antemeridiano annotatis.

Talis collatio etiam fiet die sequenti cum priore et sic deinceps, ut appareat profectus vel defectus. De singulis lapsibus praeter dolorem etiam paenitentiam aliquam spontaneam superaddere perquam conducit.



Septem psalmi paenitentiales.

Dicas genuflexus.

Ant. Ne reminiscaris.

Psalmus VI.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam, * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, * lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus, * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam,* Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri etc.

Psalmus XXXI.

BEATI, quorum remissae sunt iniquitates * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea,* dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua; * conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci * et iniustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me; * exsultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris, * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exsultate iusti, * et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri etc.

Psalmus XXXVII.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum * et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae * a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem ; * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis, * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum, * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei * adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt * et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi; * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmat sunt super me * et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, * ne discesseris a me.

Intende in adiutorium meum, * Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

Psalmus L.

MISERERE mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cog-

nosco * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci, * ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor; * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, * et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, * et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; * cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, * ut aedificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta; * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc.

Psalmus CI.

DOMINE, exaudi orationem meam, * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me; * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut faenum, et aruit cor meum, * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis, * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, * et qui laudabant me, adversum me iurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae, * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, * et ego sicut faenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes, * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion, * quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, * et terrae eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium * et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera; * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, * Dominus de caelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum, * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini * et laudem eius in Ierusalem.

In conveniendo populos in unum * et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: * Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum, * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti, * et opera manuum tuarum sunt caeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes; * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, * et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri etc.

Psalmus CXXIX.

DE profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine, * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël * ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri etc.

Psalmus CXLII.

DOMINE, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, * exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum servo tuo, * quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi; * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, medita-

tus sum in omnibus operibus tuis, * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine, * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me, * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi; * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, * quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris.


℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.





Preces ante communionem sacramentalem.

Sanctissimum eucharistiae sacramentum thesaurus est, in quo omnia bona latent, quorum ut particeps fias, operam dabis, ut non solum saepe, sed etiam digne et devote accedas. Pridie facias aliquam mortificationem et praecipue oculos et sensus custodias; lege aliquid in libro spirituali, praesertim in quarto libro »De imitatione Christi«; excita desiderium recipiendi hoc ss. sacramentum cum fructibus, ardentes affectus et aspirationes, affectus amoris et doloris propter peccata tua; fidei, reverentiae et humilitatis, qui affectus facile excitabuntur considerando dignitatem et maiestatem tanti hospitis, utilitatem propriam, fructus et dona, quae ex hoc sacramento percipiuntur. Cum varietate hi affectus elicientur si iam ut servus ad dominum, ut captivus ad liberatorem, ut

mendicus ad liberalissimum regem, iam ut discipulus ad praeceptorem, ut sponsa ad sponsum eosdem exitaveris.



Oratio s. Thomae de Aquino.



OMNIPOTENS sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

Accedo, inquam, infirmus ad Medicum vitae, immundus ad Fontem misericordiae, caecus ad Lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae.

Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut Panem angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit salutianimae meae.

Da mihi, quaeso, Dominici corporis et

sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti.

O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter eius membra connumerari.

O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

ADSIT nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

CONSCIENTIAS nostras, quaesumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Iesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio s. Ambrosii.


UMME Sacerdos et vere Pontifex, Iesu Christe, qui te obtulisti Deo

Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: Haec quotienscumque feceritis, in mei memoriam facietis! rogo per eundem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium; rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo; doce me servum tuum indignum, doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum, sanctam tractare communionem ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intellegere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Propter magnam clementiam tuam concede mihi sanctam communionem mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum angelorum pia

et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae et caenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur, qui nos persequuntur; pereant illi, qui nos perdere festinant.



Actus diversarum virtutum ante sanctam communionem.

Fides.

UIS mihi det, suavissime Iesu, ut sub candido specierum sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant angeli prospicere? Effunde super me aquam gratiae, ut exclamem cum Thoma apostolo: Deus meus et Dominus meus!

CREDO firmissima fide, te in augustissimo sacramento altaris vere esse praesentem Deum meum et Dominum meum, et pro hac assertione millies mori paratus sum. Credo, quod in hoc sacramento cor-

pus tuum gloriosissimum vere adest cum ea integritate, pulchritudine et maiestate, qua in caelo exsistit. Ibidem est sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est anima tua omni gratia et sapientia plena. Hicque latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens. Et quia tu in Patre et Pater in te est, adest etiam Pater te Verbum suum generans, adest et Spiritus sanctus utriusque nexus et amor. Haec est veritas infallibilis.

Spes.

IN te solo spem meam colloco, dulcissime Iesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. De tua igitur benignitate confisus accedo ad te, ut ovis morbida ad pastorem, ut infirmus ad medicum, ut tu me foveas, protegas, corrobores et sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuae; nam licet peccata mea plurima et gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura et graviora forent, si cum misericordia tua et pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposita est fiducia mea, et gaudeo, quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei et salva me, qui numquam deseris sperantes in te.

Caritas.

UANTA vis amoris cor tuum succendit, amantissime Iesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Grande fuit et admirabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longe praestantius et mirabilius est, quod corpus tuum in cibum et sanguinem tuum in potum reliqueris. Amo itaque te unicum meum solacium in hoc exsilio, unica spes languentis animae, unica mea felicitas et summum bonum, quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente, tota virtute; atque utinam omni momento te ferventius semper amarem. Ad te enim trahis omnes vires animae meae, dum teipsum transfundis in me, dum quantum fieri potest, me similem tui facis, dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso tuo corpore et sanguine tuo nutris, satias et saginas.

PRO hac ineffabili largitate amo te, Deus meus, et, ut numquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui es pabulum amoris mei. Ignem venisti mittere in terram, accende illum et eventila, ut sem-

per crescat. Te enim amabo, si amandi vires praebueris, et eo amplius amabo, quo uberiorem amandi gratiam infuderis, numquam tamen te amabo, ut dignus es.

Desiderium.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus, Domine Iesu; desiderat, inquam, anima mea accedere ad te. Ad te venio et clamo post te, liberator meus, esuriens et sitiens, miserere mei, Fili David, et da mihi panem tuum. Atque utinam possem b. Mariae virginis et omnium sanctorum tuorum affectus et inflammata desideria habere! Renuit consolari anima mea, donec suscipiam te, omne bonum meum, Domine Iesu, quem solum ardentissime concupisco cum omni affectu et devotione omnium electorum tuorum, quorum divitias offero tibi in supplementum inopiae meae. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea et thesaurus meus, in quo mens mea quiescat.

Timor et contritio.

AD mensam convivii tui a te vocatus et invitatus, Domine Iesu, parere

quidem vocanti vellem teque amanter et devote suscipere; sed contremisco valde, cum meam intueor foeditatem; contremisco a voce apostoli tui dicentis: Si quis manducaverit panem hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Numquid ergo fugiam a facie tua? Absit. Scio enim, quia maior est misericordia tua, quam miseria mea; maior est clementia tua, quam iniquitas mea. Dimitte mihi peccata mea, committo me misericordiae tuae. Paenitet me peccasse, quia te summum bonum et Deum meum offendi. Sed tu omnia delicta mea et peccata mea incende et combure igne caritatis tuae. Si foedus, si infirmus, si nudus sum, tu me potes mundare, sanare, vestire. Ad te igitur accedo cum timore et tremore, accedo quoque cum fiducia, quia cor contritum et humiliatum non despicies. Iam enim cognovi, quia sine te nihil sum et nihil possum, et extra te non est salus nec vita. Propitius esto mihi peccatori!

Invocatio.


GLORIOSISSIMA mater Dei et virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solacium languentis animae meae, precor te,

ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem accepturus sum. Non avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus dilectus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

Omnes sancti angeli et sancti mei tutelares N. N., comitamini me euntem ad altare et ornate me virtutibus vestris, ut hanc sanctam communionem viva fide, ferventi caritate et plena devotione accipiam.

In ipso accessu.

PERCEPTIO corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.



Exercitia post sanctam communionem.

Cum discesseris, a sacra mensa, primo quidem diversarum virtutum actus elicies: Fidei, confitendo Christum a te susceptum esse verum Deum et hominem; spei, sperando ab eo multa bona naturae et gratiae et gloriae; caritatis, elicito erga illum ferventissimo amoris affectu; humilitatis, considerando, quis venerit et ad quem; doloris, quod tot peccata contra illum et tu olim commiseris et passim committantur; desiderii et zeli, optando, ut cessent peccata, impii convertantur, iusti multiplicentur et proficiant, et Deus ab omnibus glorificetur; gratitudinis, cum pro omnibus aliis, tum maxime pro hoc beneficio, quo Christus dignatus est ad te venire; oblationis tui ipsius et omnium actionum tuarum; petitionis, proponendo Redemptori tuo omnes miserias, tentationes et necessitates tuas, rogando, ut ab iis te liberet. Pete suam benedictionem pro te et cognatis et amicis tuis, ora pro sancta matre ecclesia, pro papa, pro principibus, pro peccatoribus, deinde etiam pro animabus in purgatorio.

Gratiarum actio.

RATIAS tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans caelos tuos et descendens, ut carne tua immaculata deficientem prae fame animam meam reficeres et satiares? Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum et quae domus mea, ut ad me venire ac in me commorari volueris? Vos angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite et narrabo vobis, quanta fecit Deus animae meae: cum enim essem pauper et abominabilis nec auderem oculos meos levare ad caelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, erexit de stercore, ut sederem cum principibus et de mensa eius comederem.

TUA est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes angeli et sancti tui, quoniam misericordia

tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Iubilent tibi omnes creaturae, quaecumque caeli, terrae et abyssi ambitu continentur.

LAUDEM tibi dicant perpetuam, quae a te exiens in te refluat, omnium rerum principium et finem. Iubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae et omnia membra corporis mei, tibique soli sit honor et gloria, a quo, per quem et in quo sunt omnia, qui es Deus benedictus et laudabilis et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio.



ERVUS tuus sum, Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod maiestate tua dignum et acceptabile foret, sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo, quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes: habeo dilectissimum Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in

me sit. Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet teque amabit et glorificabit. Ipsum igitur offero tibi velut thymiama suavissimi odoris ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam, corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum iugiter ardens maiestatis tuae. Offero tibi me in servum perpetuum; quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. Succende me, Domine, inflamma cor meum, viscera combure, ut in te vivam et in te moriar. Amen.

Brevis et pia oratio s. p. Ignatio, fundatori societatis Iesu familiaris.

NIMA Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi, lava me,
Passio Christi, conforta me,

O bone Iesu, exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me.
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et iube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 300 dier. totiens, quotiens recitatur; communicantibus autem indulg. 7 annorum et 7 quadrag.

Pia paraphrasis in eandem orationem.

ANIMA Christi omnibus sancti Spiritus donis et charismatibus exornata, sanctifica me per fidem vivam, per spem firmam, per caritatem perfectam, quam nec tribulatio nec angustia nec mors ipsa dissolvat. O anima, quae per naturalem informationem Christi es, sis etiam per gratiosam assistentiam et operationem mea piisque cogitationibus et affectibus sanctifica me. Esto animae meae anima et vita, quia sine te omnis vita mors est.

CORPUS Christi, quod non solum in mortem acerbissimam, verum etiam in saluberrimum animae nostrae cibum et immorta-

litatis pharmacum iugeque sacrificium traditum est, salva me. O divinum caput, in quo omnes sunt thesauri sapientiae et scientiae Dei, rege me. O benignissimi oculi, totiens pro me lacrimis perfusi, respicite me. O Salvatoris lingua, quae verba vitae aeternae habes, doce me. O potentissimae manus, quarum attactu morbi pulsi, caeci curati, mortui resuscitati sunt, tollite omnes languores et morbos tum corporis tum animae meae, caecitatem pellite vitamque gratiae restituite. Quis mihi det, o speciosi pedes, o paterna genua, toti mundo salutem afferentia, ut cum Magdalena vos amplectar et deosculer veniamque peccatorum meorum apud vos inveniam? O amabilissimum pectus, o divinitatis sacrarium, o amoris altare, iungere cordi meo illudque amore inflamma. Sic mihi vivere Christus erit et mori lucrum.

SANGUIS Christi, totus amore mei effusus, inebria me, ut amorem amore compensare mortemque pro morte subire et usque ad sanguinem peccatis generose semper resistere adnitar.

AQUA lateris Christi, ex aperto latere profluens, lava me. Amplius, amplius lava

me et a peccato meo munda me, ut per apertum Christi pectus ad cor eiusdem amplexandum admitti merear.

PASSIO Christi, o fortissima passio! quae omnia peccata nostra pertulit, conforta me et contra omnes adversitates confirma me viresque tribue, ut contumelias et iniurias pro Domino meo Iesu Christo forti et alacri animo sustineam.

O BONE Iesu, omnis bonitatis fons et origo, exaudi me, quamvis magnum peccatorem; tua enim benignitas et gratia etiam peccatores exaudit.

INTRA vulnera tua, quae asylum miserorum constituisti, absconde me, ne praeda hostium fiam aut in manus offensi Domini mei incidam. Hic securus latebo, hic misericordias tuas, o bone Iesu, in aeternum cantabo.

NE permittas scelerum meorum multitudine et gravitate offensus me separari a te. Id oro per sacratissima vulnera, per pretiosissimum sanguinem, per acerbissimam passionem et mortem tuam. Nam a te separatus mox audire cogerer: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Proinde iterum ite-

rumque supplex oro, mi Iesu, ne in aeternum permittas me separari a te.

AB hoste maligno, qui tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, et protege, defende me, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

IN hora mortis meae, quando ab omnibus creaturis deserar, quando trepidus ex instabili hoc mundo ibo in domum aeternitatis meae, voca me perditam ovem tuam, quae totiens vocem tuam audire renuit; voca, inquam, me licet indignum nomine ovis tuae; nam oves tuae vocem tuam audiunt; voca me nihilominus, non meis meritis, sed tua permotus misericordia; quae enim utilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem?

ET iube me venire ad te summum et unicum bonum meum, ad cuius fruitionem creatus sum; iube me venire ad te, qui omnes vocas ad te; et solus mihi sufficis. Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum?

UT cum sanctis tuis, licet illorum consortio sim indignus, a tua tamen infinita bo-

nitate ad illud admissus, laudem te Deum Salvatorem meum.

In saecula saeculorum. Amen. Ecquando veniam, mi Iesu, et apparebo ante faciem tuam?

Adoratio Christi in eucharistia.

O DOMINE Iesu Christe, verus Deus et homo. Ego te hic vere praesentem agnosco, supplex adoro, de vivae carnis tuae et sanguinis corporisque et animae veritate nihil omnino dubitans. Utinam vero eo te modo contemplari et cognoscere, diligere, laudare et glorificare queam, quo tot sanctorum angelorum milia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt et glorificant in caelis! Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e caelo descenderis teque in ara crucis pro me obtuleris et in immortale monumentum amoris tui te mihi in sacramento reliqueris? Vae mihi, si amorem hunc amore non compensem!

Oratio s. Thomae de Aquino.

SIT, Iesu dulcissime, sacratissimum corpus tuum et sanguis dulcedo et suavitas animae, salus et sanctitas in omni ten-

tatione, gaudium et pax in omni tribulatione, lumen et virtus in omni verbo et operatione et finalis tutela in morte.

Precatio eucharistica post communionem.

IMPLE os nostrum laude tua, Domine, et gaudio reple labia nostra, ut laudemus gloriam tuam et toto die magnificentiam tuam. Gratias agimus tibi, Christe Deus noster, quoniam dignatus es nos participes facere corporis et sanguinis tui, in remissionem peccatorum et in vitam aeternam, ut nos a condemnatione conserves, obsecramus, ut qui bonus et benignus sis.

SIT nobis hoc sacramentum tuum, Domine Iesu, ad vitam, sit ad remissionem peccatorum, si quidem pro nobis passio tua celebrata est. Tu pro nobis fel illud bibisti, ut omnis in nobis adversarii amaritudo moreretur. Pro nobis consputatus es, ut immortali nos rore perfunderes. Percussus es calamo fragili, ut fragilitatem nostram vitae perpetuae aeternitatique firmares. Coronatus es spinis, ut virenti semper in te credentes caritatis tuae laurea coronares; involutus praeterea fuisti sindone, ut nos quodam virtutis tuae involucro vestires. In sepulcro

poni voluisti novo, ut nobis novam gratiam, nova saecula reformares. Fiat igitur nobis haec eucharistia ad vitam et viscera misericordiae et gratiam salutis sanitatemque animarum nostrarum. Amen.

Alia precatio.

DOMINE Deus omnipotens, Pater Christi tui Filii benedicti, exauditor invocantium te in rectitudine, qui scis interpellationes tacentium, gratias tibi agimus, quod fecisti nos dignos participationis sanctorum mysteriorum tuorum, quae praebuisti nobis in confirmationem eorum, quae bene cognita sunt, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos et tibi conciliati sumus.

Qui segregasti nos a communicatione impiorum, coniunge nos cum consecratis tibi, confirma nos in veritate sancti Spiritus superventione. Ignorata revela, quae desunt, exple, cognita corrobora, sacerdotes immaculatos tuere in servitute tua. Reges conserva in pace, magistratus in iustitia, caelum in salubritate, fructus in fertilitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti. Nationes bellicosas reprime, errantes converte,

populum tuum sanctifica, virgines conserva, matrimonio vinctas custodi in fide, ignorantes corrobora, infantes ad virilem aetatem perduc, novitios confirma, catechumenos instrue et imitatione dignos redde nosque omnes congrega in regnum caelorum in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, cultus et s. Spiritui in saecula. Amen.

Coram imagine Crucifixi.

(Cum indulgent. plen.)

EN ego, o bone et dulcissime Iesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus atque veram peccatorum meorum paenitentiam eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Iesu: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Post dictam orationem precare aliquantulum pro papa et s. matre ecclesia.

Altera devotio ad sanctam communionem.

Oratio ante communionem.

Brevi accessurus sequere consilium Christi, Mechtildi propositum dicentis: Cum communicatura es, suscipe me tali intentione, ac si omne desiderium et amorem, quo unquam humanum cor accensum fuit, haberes. Atque hunc amorem suscipiam in te, non qualis in te est, sed quasi talis ac tantus esset, qualem tu esse desideras.



IESU, millies desideratissime, ecce nunc appropinquat hora, hora inquam illa felicissima, qua te Deum meum in animam meam suscepturus sum. Ecce, Iesu mi amabilissime, cum summa qua possum devotione et reverentia venio ad te et vado in occursum tui. Extende igitur sacratissimas manus tuas ad amplexandam animam meam, sicut easdem perforatas mànus tuas inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. Ego, mi Iesu crucifixe, non solum manus meas, verum et cor et animam meam ad te amplexandum et in cordis mei penetrale introducendum extendo.

O utinam talem ac tantam devotionem, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, qua ullum umquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem! O utinam et millies utinam omni virtute, omni desiderio omnique devotione repletus essem! O utinam et millies utinam omnium angelorum puritatem, omnium apostolorum caritatem, omnium martyrum merita, omnium confessorum sanctitatem, omnium virginum haberem puritatem et munditiem! O utinam et millies utinam tali devotione, reverentia et amore te possem suscipere, sicut beatissima Mater tua te in tua incarnatione et postmodum in sacramento suscepit. O utinam et millies utinam tuum sacratissimum ac divinissimum cor haberem, ut te ipsum in illud ipsum tali, quo dignus es, modo suscipere possem!

OFFERO tibi, Iesu dulcissime, in condignam praeparationem animae meae et in suppletionem omnis indignitatis omniumque neglegentiarum mearum universas praeparationes, devotiones, affectus et amores, quibus omnes sancti tui, maxime vero beatissima Mater tua, te in hoc sacramento susceperunt. Offero tibi, Iesu sacratissime, tuum superdignissimum cor omnesque supercaelestes

virtutes et gratias, quas beatissima Trinitas in id ipsum superabundantissime contulit, ut iisdem abyssalis illa vilitas et indignitas mea contegatur tibique in anima mea dignissimum placidissimumque habitaculum praeparetur.

Invitatio Iesu.

O IESU superdulcissime, qui ipsemet dixisti, delicias tuas esse cum filiis hominum, te desiderat anima mea, te affectat cor meum. Invito te igitur tali devotione et amore, quali umquam ulla amantissima anima te ad se invitavit. Veni igitur, dilectissime sponse animae meae, et diverte in pauperculum diversorium cordis mei. Veni, caelestis medice, veni et sana infirmam animam meam. Veni, amice millies dilectissime, et dita extremam paupertatem meam.

VENI, sol amabilissime, et illumina densissimas tenebras animae meae. Veni, manna suavissimum, et satura nimiam esuriem meam. Veni, Iesu delectabilissime, veni dilecte votorum meorum, veni et cena mecum in vili cenaculo cordis mei. Et licet nihil, quod divinam tuam possit condecere magnificentiam, praeparaverim, invenies tamen integram

patinam, bona voluntate summoque in te affectu refertissimam.

O UNICE amor meus, summo tui teneor desiderio summoque te praestolor amore. O speciosissime inter filios hominum, o fons supereffluentis dulcedinis, o suavissima suavitas omnis delectationis! Ah, veni ad me et ne spernas pauperculum servum tuum.

Hic cum s. Gertrude osculans imaginem Christi dic:

O IESU amantissime, ex intimo cordis affectu te deosculans rogo cum affectu omnium orationum, quae umquam de corde tuo dulcissimo profluxerunt, ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Iamiam accessurus dic, quod Christus s. Gertrudem docuit:

ECCE Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et replear omni gratia.

Sequentia verba dic cum magno affectu, quo Christus dixit b. Gertrudi, quod, qui tali intentione ad communionem accederet, numquam irreverenter accedere posset.

ET licet sciam me extreme indignissimum, immo exsecrandum et abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua confisus, eo modo et intentione ad hanc sacratissimam corporis et sanguinis tui participationem accedo, ut amore amoris et gloriae tuae vilipendam (etiam si possibile esset), quod magnam damnationem mihi in sacramento sumerem, ut tantummodo divina pietas tua magis clarescat per hoc, quod de tam indigno non dedignaris communicare.

Dum in scamno communicantium es, indesinenter suspira ad dilectum tuum dicens:

VENI, bone Iesu, veni, sponse animae meae, et in illo amore, quo intrasti in uterum Virginis, intra in pauperculum cor meum.

Post communionem.



BONE Iesu, o dulcis Iesu, o amabilissime Iesu, o Iesu, unica salus et consolatio mea! Et unde mihi hoc, quod venias ad me atque in immundissimum cor meum nimiis sordibus et peccatis inquinatum intrare non refugias? Benedictus sit adventus tuus et benedicta sit dulcedo amoris tui, quae te induxit me pauperculum visitare. Cum summa

humilitate et profundissima reverentia procidens sacratissimosque pedes tuos exosculans adoro te, humillime rogans, ut ignoscas mihi, quod cum tanta neglegentia, distractione et indevotione Dominum meum suscepi. Ignosce mihi, Iesu benignissime, et per saluberrimam mortem tuam dele iniquitatem hanc maximam; et quidquid per me neglexi, tu per te supplere dignare. Obsecro igitur, digneris hanc meam communionem in cor tuum suscipere atque in illo amore et virtute, qua te ipsum in cruce obtulisti, Deo Patri offerre.

ET nunc, o bone Iesu, offero et praebeo tibi indignissimum cor meum, orans, ut abluas illud pretiosissima illa aqua, quam divinus amor ex nobilissima rosa dulcissimi cordis tui in fornace amoris eduxit, illudque aspergas et confortes suavissimo illo vino sacratissimi sanguinis tui, quod torcular crucis e botro divini pectoris tui expressit. Amen.

Oblatio ad Patrem.

SANCTISSIME Pater, ecce ego indignissimus famulus tuus confidens de tua ineffabili pietate suscepi dilectum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum eumque in pectore meo tamquam rem meam mihique coniunctam adhucdum contineo. Illum

ergo Filium tuum in modum iusti Simeonis in ulnas meas suscipiens, offero tibi tali affectu et intentione, quali se ipsum ad laudem tuam obtulit, iacens in praesepio et pendens in cruce. Respice, pie Pater, ad hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero ad aeternam laudem et gloriam infinitumque beneplacitum tuum.

OFFERO tibi eundem pro me et pro omnibus iis, pro quibus soleo et teneor orare: in gratiarum actionem omnium beneficiorum nobis collatorum, in suppletionem omnium virtutum bonorumque operum, in quibus ex mera neglegentia nos exercere neglegimus; ad impetrandam gratiam et misericordiam tuam, quae nos a malis et peccatis praeservet et eruat, in omni corporis et animae necessitate assistat et per felicem obitum ad gaudia perducat aeterna. Demum offero tibi illum ipsum pro remissione peccatorum meorum et satisfactione poenarum, quarum multitudo ultra decem milia talenta excrevit, pro quibus exsolvendis cum longe sim impar, ideo humiliter tibi procidens, confiteor tibi, Pater benignissime, in amaritudine passionis innocentissimi Filii tui, in quo tibi summe

complacere testatus es, et per ipsum exhibeo tibi emendationem et satisfactionem pro peccatis meis, offerens tibi poenas et lacrimas eiusdem omnemque satisfactionem, qua ipse in cruce universa mundi peccata expiavit.

MEMENTO etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis, pro quibus omnibus et singulis maxime pro N. N. offero tibi salutarem hostiam corporis et sanguinis Filii tui, quam modo suscepi, rogans, ut per eiusdem infinitum valorem perque merita omnium sanctorum peccata eorum condones et a poenis eos clementer absolvas. Amen.

Oblatio ad sanctos.

Quod quantae sit efficaciae, collige ex eo, quod cum b. Gertrudis in honorem ss. angelorum hoc ss. sacramentum obtulisset, vidit, quod illi bb. spiritus tam ineffabilia delectamenta ex eo perceperant, quod si antea nullam beatitudinem habuissent, satis copiose videretur ex his laetari et gratiose omnibus deliciis abundare.

BEATISSIMA virgo Maria, ecce Filium tuum, quem immaculato utero tuo conce-

pisti, genuisti, lactasti atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabaris et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum, quem ex inaestimabili divinae bonitatis dignatiòne hodie dono datum in corpus et animam suscepi, tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis brachiis constringendum, tuo ore exosculandum, tuo corde amandum et una mecum, immo pro me adorandum nec non et ss. Trinitati in supremum latriae cultum pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum, ut quod meis meritis non praesumo, tuae praerogativa dignitatis in hac oblatione suppleatur.

O VOS omnes sancti et sanctae Dei, maxime vero dilectissimi patroni mei, ecce Dominum et sponsum vestrum Iesum Christum, quem viventes in carne tota mente dilexistis, vos omnes et singulos saluto per eum, quem modo in sacramento suscepi; et in singulare augmentum gaudii, gloriae et beatitudinis vestrae offero vobis eum cum omni amore et fidelitate, quam in tempore vobis exhibuit et modo in aeternitate incessanter exhibet, orans, ut eundem pro me adoretis et colatis atque ss. Trinitati pro meis totiusque ecclesiae necessitatibus proque gratiarum actione om-

nium beneficiorum mihi collatorum summa devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, vestris meritis et precibus impetrare merear. Amen.

Gratiarum actio.

COR meum et anima mea cum tota substantia carnis meae omnibusque sensibus et viribus corporis et spiritus mei, cum universitate totius creaturae laudes et gratiarum actiones dicant tibi, dulcissime Iesu, fidelissime amator salutis humanae, pro dignantissima misericordia tua, quam mihi servorum indignissimo in sacratissimo corporis et sanguinis tui convivio exhibuisti. O dulcissime Deus, licet omnia et singula momenta vitae meae nonnisi continuae gratiarum actiones essent, non tamen responderem tibi unum pro mille. Ideo insufficientiam meam agnoscens, offero tibi, o b. Trinitas, omnes illas laudes et gratiarum actiones, quas sacratissima humanitas Domini nostri Iesu Christi toto tempore vitae suae, maxime cum hoc sacramentum instituit, tibi persolvit. Suscipe, o pie Pater, et illas, quas tibi offero, gratiarum actiones, quas b. virgo Maria omnesque sancti et sanctae Dei tibi umquam, maxime cum hoc sacramentum sus-

ceperunt, toto cordis et mentis affectu persolverunt et concede propitius, ut omnis mea insufficentia et neglegentia eorum abundantia et perfectione suppleatur. Amen.



Tertia devotio ad scf. communionem.

Intentio ante sacrum et communionem.

IGNARE suscipere, o beata Trinitas unus Deus, hoc sacrificium et communionem corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quae ego indignus peccator et inutilis servus tuus omnium sanctorum triumphantium et militantium omniumque possibilium creaturarum possibili reverentiae, gratitudinis, amoris et devotionis affectu offero divinae maiestati tuae, una cum communionibus B. V. et omnium sanctorum et sacrificiis omnibus tibi placitis umquam oblatis et offerendis, in unione sanctissimae illius sacrificii, quod idem Unigenitus ab aeterno, primo ingressu in mundum, tota vita offerre desideravit, in ultima cena et in cruce obtulit et nunc offert tamquam summus et sempiternus pontifex.

1. Ad maximam aeternamque divinae maiestatis tuae laudem, cultum, obsequium, honorem, et gloriam.

2. In protestationem supremae tuae excellentiae dominiique tui in omnes creaturas et omnimodae nostrae subiectionis et dependentiae a te.

3. In perpetuam commemorationem ac venerationem tam gratiosae et gloriosae incarnationis, passionis, mortis, resurrectionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

4. In honorem, augmentum gloriae b. virginis Mariae, sanctorum hodiernorum, patronorum meorum omniumque beatorum.

5. In gratiarum actionem et recognitionem aeternam tam inaestimabilis beneficii redemptionis, praedestinationis, item creationis, conservationis, iustificationis, peculiaris protectionis, finalis perseverantiae, glorificationis omniumque aliorum, maxime eximiorum privilegiorum, charismatum sanctissimae humanitati eiusdem Domini nostri Iesu Christi et beatissimae Matri eius, Sanctis hodiernis, patronis meis, beatis comprehensoribus ac praedestinatis viatoribus omnibus et singulis et mihi ingratissimo hucusque collatorum et conferendorum in aeternum.

6. In satisfactionem et propitiationem pro meis eorumque, pro quibus peculiariter missam et communionem hanc tibi offerre intendo, omniumque fidelium vivorum et defunctorum peccatis.

7. Singulariter autem et primario offero divinae maiestati tuae hanc immaculatam hostiam pro his N. N. vel pro hac re N. vel gratia consequenda; secundario etiam pro omnibus mihi peculiariter commendatis, et pro quibus orare soleo et teneor, pro omnibus denique, tam vivis, quam defunctis, pro quibus Unigenitus tuus, Dominus noster, seipsum incruente in cena, cruente in cruce obtulit, ut defunctis requiem indulgeas vivisque gratiam concedas, te glorificandi nunc perfecte in via, olim beate in patria per infinita saeculorum saecula. Amen.

Orationes ante communionem.

Oratio S. Bernardi ad B. Virginem.

PER te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genetrix vitae, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis et humilitas Deo grata nostrae

veniam impetret vanitati. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes nos faciat sacratissimi corporis et sanguinis sui et tandem gloriae et beatitudinis suae, Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Oratio Thomae a Kempis.



DULCISSIME atque amantissime Domine, quem nunc devote desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam et necessitatem, quam patior; in quantis malis et vitiis iaceam; quam saepe sum gravatus, tentatus, turbatus et inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione et sublevamine te deprecor; ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, et qui solus potes me perfecte consolari et adiuvare. Tu scis, quibus bonis

indigeam prae omnibus et quam pauper sim virtutibus.

ECCE sto ante te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infirma et creata in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in caelum, ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas usque in saeculum, quia tu solus cibus et potus meus, amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et totum bonum meum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas et in te transmutes, ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum et aridum a te recedere, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te ignescerem et in me ipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens et numquam deficiens, amor corda purificans et intellectum illuminans. Amen.

Alia eiusdem oratio.

UM summa devotione et ardenti amore, cum toto cordis affectu et fervore desidero te, Domine, suscipere, quemadmodum multi sancti et devotae personae in communicando te desideraverunt, qui tibi maxime in sanctitate vitae placuerunt et in ardentissima devotione fuerunt. O Deus meus, amor aeternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia, quam aliquis sanctorum umquam habuit et sentire potuit.

ET licet indignus sim omnia illa sentimenta devotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed et quaecumque potest pia mens concipere et desiderare, haec omnia tibi cum summa veneratione ac intimo fervore praebeo et offero. Nihil opto mihi reservare, sed me et omnia tibi sponte et libentissime immolare.

DOMINE Deus meus, Creator meus et Redemptor meus, cum tali affectu, reverentia, laude et honore, cum tali gratitudine,

dignitate et amore, cum tali fide, spe et puritate te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua, gloriosa virgo Maria, quando angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium, humiliter et devote respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

ET sicut beatus praecursor tuus, excellentissimus sanctorum Ioannes Baptista, in praesentia tua laetabundus exsultavit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis clauderetur visceribus, et postmodum cernens inter homines Iesum ambulantem, valde se humilians, devoto cum affectu dicebat: »Amicus autem Sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi«, sic et ego magnis et sacris desideriis opto inflammari et tibi ex toto corde me ipsum praesentare. Unde et omnium devotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes ac caelicas visiones tibi offero et exhibeo cum omnibus virtutibus et laudibus, ab omni creatura in caelo et in terra celebratis et celebrandis, pro me et omnibus mihi in oratione commendatis, quatenus ab omnibus digne lauderis et in perpetuum glorificeris.

Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae iure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes omnes caelestes spiritus et cunctos fideles tuos precibus et affectibus invito et exoro.

LAUDENT te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa iubilatione et ardenti devotione magnificent. Et quicumque reverenter ac devote altissimum sacramentum tuum celebrant et plena fide recipiunt, gratiam et misericordiam apud te invenire mereantur et pro me peccatore suppliciter exorent. Cumque optata devotione ac fruibili unione potiti fuerint et bene consolati ac mirifice refecti de sacra mensa caelesti abscesserint, mei pauperis recordari dignentur. Amen.

Pii affectus S. Gertrudis ante sanctam communionem.

DULCISSIME sponse animae meae, Iesu Christe, ecce in siti desideriorum et

ferventi affectu hodie venio et tibi cor meum inhabitandum humiliter offero, tuam exorans clementiam, ut dignanter advenias in animam meam et in medio cordis mei sedem tibi colloces.

NUNC cum gaudio atque humilitate obvians tibi, suscipio te, Dilecte mi, ex affectu totius universitatis in unione amoris illius, quo tu Creator et Dominus pro nostra salute in mundum advenisti et mortis amaritudinem non recusasti. Suscipio te in offensarum mearum perfectam reparationem mearumque neglegentiarum suppletionem; renova me hodie in te, Deus meus, verus amor meus, ut in lumine tuae gratiae sincere ambulem deinceps et corde perfecto coram te; ut in vera humilitate et caritate, spiritu prompto tibi serviam et placeam, et quae sunt ad tuam gloriam et honorem, ea solum pure quaeram et digne secundum optimum tuum beneplacitum perficiam.

HEU! dilecte mi, dilecti ego indignissimus nihil, quod tuam divinam possit decere magnificentiam, paravi, sed totam substantiam meam offero pietati tuae, desiderans et orans, ut ipse tibimet digneris praeparare, quidquid tuam divinam in me summe de-

lectare possit benignitatem, et obviam mihi mittas omnem fructum sanctissimae humanitatis tuae, quo thalamum cordis mei placitissime tibi exornare festinusque tibi occurrere possim, ut intra brachia animae meae, in hoc praesenti festo, ad laudem tuam aeternam cum gaudio et fructu spirituali suscipiam te mecumque manere et delicias tuas in me habere valeas.

O QUAM libentissime te tunc, o vita animae meae, suscipiam! praeparet me, quaeso, divinae pietatis tuae respectus, ut decenter coram oculis tuis compaream. Dignare, dulcissime Iesu, ad hospitiolum indignissimi cordis mei declinare et desideratam praesentiam tuam animae meae ne tardaveris exhibere. Veni ad me, veni, o unica salus mea, totum et solum bonum meum; adstringam te pectori meo, accipiam te inter ulnas animae meae et ponam te sicut signaculum, super cor meum. Adveni, Salvator, adveni desideratus animae meae, quem exspectabam in tenebris; veni et novo lucis tuae radio illustra cor meum eligensque tibi sepulturam in me sepeli me totum vicissim in te, ut omnibus aliis mortuus tibi soli vivam, in te novum spiritum colligam, novum fervorem

acquiram, novum hominem induam et in fruitione mellifluae tuae praesentiae sit mihi perpetua in te requies.

O SI tibi parum a creaturis abstractum cor meum vel unica hac horula praebere possem, ut tu Sponsus prae milibus electus ad cor mihi loqui in eoque delectari et delicias tuas habere posses.

HEU me! quantis cum lacrimis lugere satis possum, quod numquam tibi dulcissimo amori meo, dignissimo hospiti ad me adventanti, condignam in corde et anima mea exhibuerim mansionem, sed inhoneste nimium a me fugavi te neque umquam aurem tibi praebere volui.

IGNOSCE Iesu, dulcis amor, tantae meae infidelitati et irreverentiae neque me in aeternum proicias a te; sed redde te ipsum mihi, ut per te perficiam omne bonum et satietur plenum in te spiritus meus. Amen.

Ad conspectum SS. Hostiae.


CCE Deus ad me, ad creaturam Creator, ad mancipium Dominus, ad prodigum et protervum filium indulgentissimus Parens.

NEC oculos ad te nec cor audeo levare, Pater sancte, quia peccavi in caelum et coram te, non sum dignus vocari filius tuus.

PROSTRATUS igitur sacrisque pedibus provolutus vestigia tua pia deosculor, ad aeternam subiectionem servitiumque perenne me tibi dedico. Parce pro ineffabili clementia tua, parce, quidquid umquam in anima mea vitii deprehendisti. Doleo (utinam dolore omni possibili!) te Deum meum, ipsum infinitum in se bonum a me umquam offensum.

QUANDO tamen te Patrem esse scio, et oculos levo et cor meum (o si tibi omnimode acceptum! o si semper tuum!) totum humillime desero. Profiteor te Deum meum; tibi cultum divinum supplex pendo tibique uni totum substerno me; calcent pedes tui cervicem meam, et quidquid calcaveris, tuum esto.

In te Domine spes, virtus et salus mea; a te vires, vitam et omnia, tua fretus bonitate, spero. Amplector beatissimos pedes tuos, praeque bonis omnibus te unicum diligo, dulcis Iesu, summum bonum meum; ne, quaeso, me ab hac miseriae meae asylo, ab hac ara misericordiae retrahi sinas.

Ante communionem ipsam vel ora **Confiteor** cum ministro vel dolorem et contritionem breviter elicias sequentibus vel similibus actibus.

O MI Iesu! Agnus Dei! Iesu miserere mei * Peccatoris maximi!

Dolet meum cor malignum, * Quod te Deum tam benignum * Vel semel offenderim.

Nolo, nolo iam peccare, * Sed te, Iesu mi, amare * Volo totis viribus.

Ad **Domine non sum dignus** potes sic orare:

NON sum dignus, non sum dignus, * Ut tu Deus tam benignus * Cordis mei hospes sis.

Non sum dignus, sed te tamen * Cordis unicum solamen * Iesu mi, desidero.

Vel certe ipsum **Domine non sum dignus,** cum summa humilitate cum sacerdote repetas; ad primum **non sum dignus** cogita: **propter meam vilitatem,** ad 2.: **propter mea peccata,** ad 3: **propter summam Dei maiestatem.** Dum communionem seu altare accedis, potes sic orare:

AD te, Iesu mi, accedo, * In te spero, in te credo, * Amo te medullitus.

Interea, donec ad te sacerdos veniat, repete actus supra positos: **Iesu dulcis memoria** etc.

Quando iam sacerdos accedit cum venerabili sacramento, etiam saepius repete:

Veni, Iesu, et dignare * Peccatorem satiare * Corpore et sanguine.

Dum exponit pro te hostiam, cum affectu amoris illam aspiciens, dic: **Iam quod quaesivi, video.**

Mox deiectis oculis, lingua super inferius labium posita, ore modicum magis diducto, accipe hostiam et dic tantum cogitando:

Quod concupivi, teneo, * Amore Iesu langueo * Et corde totus ardeo.

Deglutiens mox hostiam, dic:

Affectu Mariae matris, * Et Iosephi tui patris * Te, Iesu, suscipio.

Omnes actus angelorum, * Cuncta merita sanctorum * Tibi, Iesu, offero.

Deinde postquam deglutivisti:

INTRA cor meum te pono * Meque tibi totum dono; * Sim tuus, et tu meus.

Sis, mi Iesu, benedictus * Iterumque benedictus * Sis, mi Iesu, millies!

Quod sis factus cibus, potus * Immo quod sis meus totus * Sub hac panis specie.

Credo in te, in te spero, * Amo te corde sincere, * Amo, amo, amo te.

Me ad tuos sterno pedes, * Vulnerum adoro sedes, * Latus tuum osculor.

Quidquid vis, hoc ego volo, * quidquid non vis, ego nolo, * Tibi me subicio.

Quoquo vis, eo me voca, * Et in illo statu loca, * In quo tibi placeam.

Moribus fac sim maturus, * Corde sensibusque purus, * Simultatis nescius.

Humilis, pauper, pudicus, * Voluptatum inimicus, * Patiens et candidus.

Quidquid loquar, cogitabo, * Agam, patiar, amabo * Te, Deus, in omnibus.

Hos rhythmos proderit discere memoriter, quia tibi servient etiam pro communione spirituali. Hic necessitates tuas, labores, dolores, infirmitates, vulnera, tentationes, pericula, desideria tua omnia Christo hospiti tuo explica, eo quo potes affectu, viva spe fretus, te ab eo adiuvandum. Pete humiliter veniam peccatorum praeteritorum, neglegentiarum, praesertim, si quas in susceptione huius sacramenti commisisti. Implora auxilium ad tuas particulares necessitates, non tam verbis, quam affectibus mentis. Quibus absolutis ora sequentes preces.



Orationes post communionem.

Oratio ad Iesum.

DORO te, dulcissime Iesu, cum Patre et Spiritu s. apud me indignissimum et omnibus creaturis rationalibus peiorem hic et in omnibus speciebus eucharisticis exsistentem, et in omnibus locis, in quibus te offendimus, et in quibus aliquo beneficio tuo affecti sumus, et in quibus aliquid passi sumus, et in quibus es operatus opera redemptionis nostrae. Et gratias tibi ago pro tuo ad me indignissimum adventu et pro omnibus beneficiis tuis, communibus et personalibus, notis et ignotis; praesertim pro beneficio redemptionis nostrae et pro liberatione ac praeservatione nostri a tam multis peccatis et pro gratia iustificationis ac tam ampla multitudine auxiliorum gratiae a te in nos conferri solitorum et tam multiplici usu et fructu sacramentorum in ecclesia sancta tua, ac destinatione nostri ad gloriam caelestem et pro patientia tua in tolerandis tot nostris peccatis et perseverantia multorum in gratia tua et tot animarum conversione et divinis tuis manducationibus ad vitae perfectionem. Quocirca in unione omnium meritorum tuorum offero

tibi et Patri et Spiritui sancto hoc sacratissimum sacramentum, in recognitionem infinitae tuae maiestatis ac nihili nostri et indignitatis nostrae ac demeritorum nostrorum, pro omnibus beneficiis tuis et pro peccatis ac necessitatibus nostris; et in unione huius sanctae oblationis offero tibi omnia mea desideria et proposita bona, omnes renuntiationes meas, omnes actus, qui tibi umquam in me et in aliis placuerunt, illos ratificando, desiderando et iterando, in quantum possum. Et rogo divinam maiestatem tuam, ut has obligationes in odorem suavitatis acceptare digneris et effundere in nos et in nostra omnia omnem benedictionem tuam caelestem.

Invocatio B. M. V., ss. angelorum et aliorum sanctorum.



regina sanctorum omnium, mater Dei et virgo Maria, aspice Filium tuum amantissimum simulque Deum, Dominum ac Redemptorem nostrum; illum affectibus ex tuis maternis visceribus depromptis mecum et pro me benedicere, laudare et superexaltare digneris, measque illi necessitates, desideria et vota expone. Gratias ago pro dignatione, mihique tandem largam ab

eodem benedictionem impetra, ut simili devotionis affectu illum adorem ego, quali tu eundem olim adorabas in terris et nunc aeternum adoras in caelis.

ASPICITE, ss. angeli, ministri Altissimi, verbum illius facientes, in corde nunc habitantem. Primogenitum Patris aeterni, quem introëuntem in orbem terrarum iussu Patris adorastis, et facite me eo spiritu et veritate illi servire, quo vos eidem in hac vita servivistis et nunc in illa beata et caelesti servitis.

ASPICITE, sancti patriarchae et prophetae, caelestes nuntii, conscii mirabilium secretorum, promissum ab initio mundi Redemptorem, quem desiderastis et tanto tempore expectastis, et facite me totis viribus et affectibus cordis ad ipsum anhelare et post ipsum Dilectum meum die ac nocte suspirare.

ASPICITE, ss. apostoli, evangelii praedicatores clarissimi, vestrum dilectissimum Magistrum, quem toto corde tam ardenter amastis, et facite me eundem super omnia amare.

ASPICITE, ss. martyres, testes fidei fortissimi, Christum crucifixum, pro cuius amore

sanguinem vestrum tam libenter fudistis, et facite me pro eius amore et in cruce vivere.

ASPICITE, pastores gregis Dominici, ss. pontifices, Agnum immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari in odorem suavitatis immolastis, facite me tanto sacrificio praesentem digne illud Deo offerre et me ipsum tam sacrae oblationi associatum, perpetuo eidem per opera sancta quam maxime in odorem suavitatis immolare.

ASPICITE, ss. confessores, servi fideles Domini mei, dulcem et dilectum Dominum vestrum, cui tanta cura servivistis, et facite me similiter eidem servire et ad sanctitatis fastigium pervenire.

ASPICITE, ss. virgines, sponsae Agni immaculati, Dilectum vestrum, cui vestram virginitatem cum tanta exsultatione conservastis et facite me purum corde et corpore semper oculis Dilecti mei et vestri apparere.

ASPICITE, omnes sancti et sanctae Dei, consolationem pauperculae animae meae, Magistrum, auctorem, et praemium sanctitatis vestrae, et facite me iisdem passibus in magna sanctitate semper procedere. Amen.

Oratio ad Iesum in recessu.

RECEDO a te modicum, Domine, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animae meae, et me tuae amplissimae caritati cum omnibus fratribus, amicis et inimicis nostris vehementer commendo. Ama nos, Domine, quantum potes, et tuo amore nos inebria et transforma quam simillime in te, gaudium et exsultatio cordis nostri et fac, ut toti simus in te, toti occupemur in te et propter te, nihilque sit obiectum verborum actionumque nostrarum internarum et externarum, nisi tu, Amor noster, omne Bonum nostrum, qui vivis et regnas, in saecula saeculorum. Amen.

℟ESPICE, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus s. Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Sequentes actus potes saepius die communionis repetere.

BENEDICTUS sis Iesu, qui me hodie visitasti.

O Iesu, conserva me hodie ab omni

peccato per corpus et sanguinem tuum, quae hodie sumpsi.

O felix lingua hodie, felix cor meum, in quibus hodie hospitatus est meus Dilectus!

O Iesu, amo te, quia tu ad me veniendo amasti me!

Dominus meus et Deus meus hodie fuit in corde meo.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?

Domine Iesu, non sit mihi hodierna communio reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam.

Da mihi, Iesu, ut anima mea te esuriat panem angelorum.

Nihil me hodie delectet, nisi Iesus, quem hodie suscepi.

O Iesu, quantum me hodie amasti, dum me peccatorem te ipso satiasti!

Sensus tuos illo die diligenter custodias; praeter studia lectione alicuius spiritualis libri te potius occupa, quam lusu vel distractionibus aliis.



Pro lucrandis indulgentiis.

Oratio pro ecclesia.

BENIGNISSIME Domine Iesu Christe, qui sanctam ecclesiam tuam in sponsam elegisti eamque tanto dilexisti amore, ut vitam et sanguinem tuum pro ea profuderis, rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum. Aspice, Iesu clementissime, quam pertinaciter ab hostibus suis oppugnetur; aspice, quam violenta rabie portae inferi adversus eam consurgant. Ne, quaeso, permittas, ut adversus eam praevaleant, sed defende et conserva eam in magnitudine brachii tui. Intuere etiam, Iesu piissime, quanta neglegentia divina officia peragantur, quam sacer tuus cultus iaceat, quamque exigua scientia sit in terra. Mitte igitur ferventes et indefessos operarios in messem tuam, qui eam excolant, promoveant et in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut ecclesiae tuae sanctae oboediant eiusque praecepta servent et in omni bono de die in diem ad maiorem tui nominis gloriam proficiant. Amen.

Pater noster et Ave Maria.

Oratio pro exstirpatione haeresum.

PIENTISSIME Domine Iesu Christe, verum lumen ad illuminationem gentium, obsecramus clementiam tuam, ut respicias super interitu tot animarum, quae fraude serpentis antiqui et deceptione haereticorum in profundas errorum tenebras inciderunt. O misericordissime Iesu, estne possibile, quod miseras illas animas pretiosissimo sanguine tuo redemptas a satana decipi eiusque potestati subdi patiaris? estne possibile, quod in die tot miserandas animas defectu verae fidei in abyssum inferni detrudi permittas? Recordare, o Christe Iesu, quot laboriosa itinera pro salute eorum susceperis quotque vulnera ac plagas in redemptione earum acceperis. Rogamus igitur per virtutem amarissimae passionis tuae, ut exsecrandas illas haereses funditus exstinguere atque indurata haereticorum corda ad veram fidem convertere digneris. Amen.


Pater noster et Ave Maria.

Oratio pro concordia principum.

DULCISSIME Iesu, auctor et amator unitatis et pacis, rogamus clementiam tuam, ut omnibus principibus Christianis

pacem et veram concordiam donare digneris, ut ecclesia tua tranquilla semper devotione laetetur. Recordare, Iesu pie, quam multus innoxius sanguis per continuam bellorum tempestatem effundatur. Aspice, quam multi in extremas corporis et animi angustias deiciantur. Ah, Iesu amantissime, qui pacem semper summe amasti eamque discipulis totiens apprecatus es, rogamus te per ineffabilem cordis tui amorem, ut reges et principes Christianos pacificare et artissimo concordiae vinculo colligare digneris, ut plebs tua in quiete gubernari et in tuo sancto servitio confortari et conservari mereatur. Quod nobis praestare digneris per infinitam misericordiam et bonitatem tuam. Amen.

Pater noster, Ave Maria et Credo.



Observationes sacrae.



Ecce ancilla Domini/ fiat mihi secundum verbum tuum.



Congregatio Mariana.

Formula votiva sodalium.



SANCTA Maria, mater Dei et virgo! Ego te hodie in dominam, patronam et advocatam eligo firmiterque statuo ac propono, me numquam te derelicturum nec contra te aliquid umquam dicturum aut facturum neque permissurum, ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem umquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.

Insuper firmissime propono, me semper, quoad vixero, publice et privatim tuam

immaculatam conceptionem asserturum, promoturum ac pro viribus propugnaturum, sicut definivit sancta mater ecclesia, ut et mihi vitam in hoc mundo immaculatam et mortem denique impetres beatam. Amen.

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus, ut supra pag. 353, deinde: V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ordo officii in conventibus.

Preces ad initium.

Hymnus: Veni Creator Spiritus, ut supra pag. 396, deinde:

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur,
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Recitatur deinde una ex antiphonis B. M. V. ut supra pag. 31 secundum tempus.

Sequitur exhortatio, deinde hymnus sancti Bernardi **Ave maris stella**, ut supra pag. 413.

Pro lucrandis indulgentiis solvuntur quinque **Pater noster** et **Ave** cum **Credo**.

Litaniae Lauretanae pag. 332.

Suffragia, si facienda sunt, pro sodalibus defunctis.

Psalmus L.

MISERERE mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci, * ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti, * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor, * lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, * et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, * et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus, * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, * ut aedificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta, * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Requiem aeternam dona eis, Domine, * et lux perpetua luceat eis.

Psalmus CXXIX

DE profundis clamavi ad te, Domine, * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine, * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius, * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia * et copiosa ad eum redemptio.

Et ipse redimet Israël * ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem aeternam dona eis, Domine, * et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue

peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ad finem congregationis.

KYRIE eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. Pater noster secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Memento congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRAESTA nobis, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Retribuere dignare, Domine, benefactoribus nostris vivis atque defunctis vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium ✠ maneat semper nobiscum. ℟. Amen.



Tertius ordo s. Francisci Ass.

Ad initium congregationis.

ENI, s. Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

SUB tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genetrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Respice, beate pater Francisce, de excelso caelorum habitaculo et deprecare pro populo tuo, quem elegisti, ut serviat coram te omni tempore in ministerio Domini.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Memor esto congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

MENTES nostras, quaesumus Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus, quae agenda sunt, et quae recta sunt, agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pro congregatione sollemni omittitur versiculus supra positus Veni s. Spiritus atque eius loco cantetur hymnus Veni, Creator Spiritus pag. 396, deinde:

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad finem.

YRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRAESTA nobis, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te adiuvante implere valeamus.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis etc.
℟. Amen.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Ant. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Deinde psalmus De profundis ut supra pag. 581 et antiphona repetitur.

℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus.

DEUS, veniae largitor etc. ut supra pag. 582. Fidelium, Deus, omnium Conditor, ut supra pag. 582.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant ✠ in pace. ℟. Amen.



Precationes diversae.

Consecratio studiorum in honorem immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis.

SUB patrocinio tuo, Mater dilectissima, et invocato immaculatae conceptionis tuae mysterio studia mea laboresque litte-

rarios prosequi volo, quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas; ego vero, quod iustum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

Pro eligendo vitae statu.

OMNIPOTENS, aeterne Deus, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua constituisti hominem, mitte sapientiam illam de sedibus sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris.

Oblatio cuiuscumque doloris.

Quotien-cumque specialis aliquis dolor te tangit, statim offer eum amori divino, sicut Christus b. Mechtildem docuit.

O DULCIS amor, hanc puncturam offero et commendo tibi tali intentione, quali eam de corde Iesu mihi detulisti, rogans, ut eandem cum summa gratitudine consignes.

Pro spiritualibus et carnalibus amicis.

Cum b. Gertrudis hoc modo, sicut eam Christus docuerat, pro sibi commissis oraret, benignus Dominus cuiusvis necessitatem in lumine divinae cognitionis suae rememorans amatoria compassione singulis condescendit.

BENIGNISSIME Iesu, omnes eos, qui se indignis orationibus meis commiserunt, commendo divinae tuae cognitioni et amori, quorum ductu de sinu Patris ad terras propter salvandum hominem descendisti. Et in unione amoris illius, quo Patri spiritum tuum commendasti, commendo et includo illos dulcissimo cordi tuo, applicans et exhibens tibi idipsum in unione amoris illius, quo illud pro salute humana humanum suscepisti atque dilectis amicis tuis in

specialis amicitiae praerogativam saepius dedisti, ut inde benefacias illis, pro quibus oro et orare teneor.

Sic Christus b. Gertrudem docuit. Deinde dic unum **Pater noster,** quod sic offeras:

BONE Iesu, offero tibi hanc orationem ad aeternam laudem tuam, ut exinde benefacias tuis meisque specialibus amicis secundum beneplacitum tuae divinae pietatis. Amen.

Pro inimicis.

Cum b. Gertrudis orasset, ut sequitur, Christus coram Deo Patre procidens obtulit pro ea fructum totius sanctissimae conversationis suae, in emendationem omnium, quibus umquam contra ipsum deliquisset.

DOMINE Iesu, in unione amoris et suavitatis illius excessivae, qua inter ipsos etiam indicibiles passionis dolores et poenas mortis pro crucifixoribus tuis rogasti dicens: »Pater, ignosce illis«, ex intimo affectu deprecor te, ut digneris dimittere omnibus, qui umquam in aliquo contra me deliquerunt. Amen.



Cum aegrotas.

DEUS infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui virtutem super me infirmum famulum tuum clementer ostende, ut ope misericordiae tuae adiutus ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari merear.

DULCIS Iesu, neque vitam neque mortem, sed tuum beneplacitum cum desiderio exspecto, fiat mihi secundum voluntatem tuam. Si vis, ut moriar, dulcis Iesu, suscipe spiritum meum. Et licet ad vesperam venerim omnium novissimus, da mihi, ut tecum et in te requiem accipiam sempiternam. Si vero vis, ut diutius vivam, dulcis Iesu, nunc propono (et hoc gratiae tuae subsidium rogo) reliquum vitae meae corrigere atque in holocaustum tibi totum offerre in gloriam tuam et secundum beneplacitum tuum.

IN manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis. Sonet in mentis meae auribus vox illa dulcis, Domine Iesu: Hodie mecum eris in paradiso.

O MATER misericordiae, mater aeterni Regis, impetra mihi misericordiam, perve-

niant ad te preces et lacrimae meae. Scio, quia iustitia est, ut puniantur peccata mea, pro quibus poenam merui plusquam aeternam, sed tamen impetra tu mihi misericordiam a Filio tuo, ut, antequam moriar, ex corde convertar et agam paenitentiam, misericordiam consequar et vivam.

RURSUM te invoco, mater misericordiae, Maria, vosque caeli cives deprecor, assistite mihi quaeso, in hac postrema necessitate mea et mecum pro me contra hostem infernalem decertate. Suscipite animam meam e corpore egredientem et ad societatem vestram perducite, ut gustem vobiscum, quam suavis sit Dominus, eidemque unitus in aeterna beatitudine permaneam et requiescam. Amen.

Post acceptum S. viaticum.

GLORIA tibi, Christe, qui in dulcedine tua pauperem meam animam adhuc visitare et refocillare dignatus es. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Iam te teneo dulcis amor, iam ultra non dimitto te, iam gaudens ad te venio, nihil amodo, o Iesu, me separabit a te. Tibi, Christe, coniunctus sum, in te vivam, in te moriar et in te per tuam gratiam in

aeternum permanebo; vivo iam non ego, vivit vero in me Christus, taedet nunc animam vitae meae, cupio dissolvi et esse cum Christo; mihi enim vivere Christus est et mori lucrum. Respice me, dulcis amor, ut in aeternum mihi bene sit in te, et in pace dulciter obdormiam et requiescam. Amen.

Ad osculum s. crucis.

SUSCIPE me, Iesu crucifixe, inter amorosa haec tua brachia, quae pro me in cruce extensa video et amplector. Suscipe me inter deliciosos tuos amplexus et attrahe tibi animam meam, quam pretioso sanguine redemisti. Suscipe me, bone Iesu, in misericordia tua, suscipe in pace spiritum meum. Amen.



Aspirationes agonizanti suggerendae.

O IESU, fili David, miserere mei! O bone Iesu, dic animae meae: Salus tua ego sum! O bone Iesu, in quem credidi, miserere mei! O bone Iesu, in quem speravi, miserere mei! O bone Iesu, quem dilexi, miserere mei!

ECCE crucem ✠ Domini, fugite partes adversae, vicit leo de tribu Iuda, radix Da-

vid. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius.

O MATER Dei, memento mei, Maria mater gratiae, mater misericordiae! Tu nos ab hoste protege et hora mortis suscipe. Eia bona mater et advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad me nunc converte et Iesum, benedictum fructum ventris tui, mihi propitium redde, ob quem a me offensum summe doleo, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria. O Iesu, esto mihi Iesus et salva me, suscipe spiritum meum!

Pia suspiria aegrotantis.

MISERERE mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuvandum me festina.

Esto mihi, Domine, in Deum protectorem.

Deus, propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Iesu Christe, per

virtutem sanctissimae passionis tuae recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege et mortis hora suscipe.

Sancte angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes sancti angeli et omnes sancti, intercedite pro me et mihi succurrite.

Resignatio infirmi.

Infirmus aut moriturus nihil melius facere potest, quam se integre voluntati divinae committere seque paratum exhibere omnes poenas, immo et mortem ipsam pro amore Dei subire. Unde infirmus saepe hanc orationem orabit aut sibi praelegi faciet:

MNIPOTENS et misericors Deus, ecce ego indignus famulus tuus integra voluntate mea offero et resigno me tibi in laudem tuam aeternam, ad faciendum corpore et anima mea omne beneplacitum tuum in unione amoris illius, quo Filius tuus in cruce pendens se tibi obtulit. Et ex intimo corde paratus sum amore amoris et gloriae tuae omnes dolores et cruciatus huius

meae infirmitatis, immo et mortem ipsam nec non omnia mala et poenas, quae mihi per rigorem divinae iustitiae tuae in tempore et aeternitate imponendae forent, patienter sustinere. Hinc coram te et omnibus sanctis fateor et protestor, quod si penes me esset, adhuc mille annis in omnibus deliciis praeter voluntatem tuam vivere, malim tamen pure ob amorem et gloriam tuam, si voluntas tua esset, hac hora mori. Quare cum plena mei ipsius resignatione corde et ore dico et milliens repeto: Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime Iesu, de me, per me et in me in tempore et aeternitate. Amen.

Pro infirmo.

DOMINE Iesu, per amorem, quo languores nostros tulisti et dolores nostros portasti, rogo, ut illi infirmo conserves patientiam et ut singula momenta, per quae passurus est, perducas ad gratiorem laudem tuam et ad utiliorem eius profectum, secundum quod caritas ab aeterno praeordinavit in corde tuo paterno ad aeternam ipsius salutem.



Modus iuvandi morientes.

YRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora pro eo.
Omnis chorus iustorum,
Sancte Abraham,
Sancte Ioannes Baptista,
Sancte Ioseph,
Omnes sancti patriarchae et prophetae, orate pro eo.
Sancte Petre, ora pro eo.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Ioannes.
Omnes sancti apostoli et evangelistae, orate pro eo.
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti innocentes,
Sancte Stephane, ora pro eo.
Sancte Laurenti,
Omnes sancti martyres, orate pro eo.
Sancte Silvester, ora pro eo.
Sancte Gregori,
Sancte Augustine,

Omnes sancti pontifices et confessores, orate pro eo.
Sancte Benedicte, ora pro eo.
Sancte Francisce,
Omnes sancti monachi et eremitae, orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, ora pro eo.
Sancta Lucia,
Omnes sanctae virgines et viduae, orate pro eo.
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Propitius esto,
Ab ira tua,
A periculo mortis,
A mala morte,
A poenis inferni,
Ab omni malo,
A potestate diaboli,
Per nativitatem tuam,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per gloriosam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per gratiam Spiritus sancti paracliti,
In die iudicii,

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus, audi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oremus.

COMMENDAMUS tibi, Domine, animam famuli tui N. precamurque te, Domine Iesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, animam eius in conspectu tuo et ne memineris iniquitatum eius antiquarum et ebrietatum, quas suscitavit furor sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

In exspiratione.

IN manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum.

Sancta Maria, ora pro me.

Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege et mortis hora suscipe.

Egressa anima de corpore statim dicatur hoc ℟.: Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae angeli deducant te.

℟. Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. ℟. Offerentes eam in conspectu Altissimi. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem aeternam, dona ei, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat,

et quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



Pro patre defuncto.

DOMINE Deus investigabilis et immensae bonitatis, patrem meum colloca in loco refrigerii et in loco quietis, ubi lux splendet vultus tui. Et ne memineris iniquitatum illius antiquarum, et secundum magnam misericordiam tuam dele chirographum peccatorum et chartam illius scinde, quia decet te omnis gloria in saecula. Amen.

Pro matre defuncta.

LAUS mea et vita mea, Deus cordis mei, pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio matrem meam misericorditer operatam esse et ex corde dimisisse debita debitoribus suis, dimitte illi et tu debita sua, si quae etiam contraxit per tot annos post aquam salutis.

Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus. Amen.

Precatio pro parentibus.

DEUS, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere, quaeso, clementer animabus patris mei et matris meae atque omnium parentum meorum eorumque peccata dimitte, meque cum illis in aeternae claritatis gaudio fac vivere.

Pro sepultis in caemeterio.

DEUS, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Dominum etc.



Testamentum hominis Christiani cotidie faciendum.

MORIERIS tu et non vives. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Stulte, hac nocte repe-

tent animam tuam a te, et quae parasti, cuius erunt?

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ sancti. Amen.

Ego N. animam meam in manus Creatoris et Redemptoris mei trado, corpus autem terrae, unde exivit, committendum relinquo; temporalibus bonis, honoribus ac deliciis prompto animo renuntio; solo Deo ac Domino meo frui cupio. Doleo ex toto corde, et detestor peccata mea, praesertim N. N. ob purum et sincerum amorem Dei. Condono omnibus inimicis meis, quod idem, ut mihi fiat, humillime supplicor. Credo in Deum, unum in essentia et trinum in personis, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, Creatorem, Conservatorem, Redemptorem et Remuneratorem, in potentia, bonitate et sapientia infinitum. Adhaereo denique firmissime omnibus, quae sancta ecclesia catholica et Romana credenda proponit. Spero de Dei bonitate peccatorum meorum remissionem et vitam aeternam. Amo Deum ex toto corde meo, ex tota anima et ex omnibus viribus. Committo me omnino beneplacito sanctissimae et semper adorandae Dei voluntatis, paratus ad agendum et pa-

tiendum, ad bonam et afflictam valetudinem, ad vitam et mortem, prout voluerit. Fiat sanctissima voluntas Domini. Amen.

Commendo me patrocinio beatissimae virginis Mariae, matris meae optimae et advocatae, sancto Iosepho et angelo tutelari omnibusque sanctis, quos oro supplex, ut in hora mortis me adiuvent. Utinam in gratia Dei, Salvatoris mei, et in consortio beatae Virginis et sanctorum moriar inter illa verba, quae nunc ex animo pronuntio: Iesu, Maria, Ioseph! In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Amen.



Supplementum.

Preces pro necessitatibus ecclesiae.

Post quamlibet missam privatam dicendae.

AVE Maria ter, Salve Regina pag. 31.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.


℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.


Oremus.


DEUS, refugium nostrum et virtus, adesto piis ecclesiae tuae precibus et praesta, ut intercedente gloriosa et immaculata virgine Dei genetrice Maria, beato Iosepho ac beatis apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus sanctis, quod in praesentibus necessitatibus humiliter petimus, efficaciter consequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.


℟. Amen.

Indulgentia 300 dierum. (Leo XIII.)









Nachfolge Christi, übersetzt von Dr. Wolfsgruber O. S. B. 2. Aufl. 32⁰. VIII und 551 S. (Altgoth. ausgest. mit roth unterzog. Zeilen.) a) brosch. M. 3.—, b) in schwarz stilger. Lederband von 1481 M. 5.—, c) in hellnaturell Kalbleder und Doppelschnitt (Gold- auf Rothschnitt) M. 7.—, Reichere Einbände von 20—300 M.

De Imitatione Christi libri quatuor. Edidit Dr. C. Wolfsgruber O. S. B. Una cum indice librorum et capitum et indice rerum et appendice orationum 12⁰. Aussttg. in ital. Frührenaiss. a) brosch. M. 1.50, b) geb. in starken Callico M. 2.50, c) geb. in Chagrin M. 3.30, d) geb. in schwarz Kalbleder mit Doppelschnitt M. 6.—.

Vademecum. Preces in usum cotidianum maxime necessariae. In Callico geb. M. —.60.

Officium parvum Beatæ Mariæ Virg. Ausstattg. in italienischer Frührenaissance. 12⁰. XII u. 98 S. a) brosch. M. —.40, b) Lederband mit Rothschnitt M. 1.—, c) schwarz. Kalblederb. mit reicher Goldpressung und Goldschnitt M. 3.—.

Dr. Schneider Cesl., Sitz der Weisheit. Ps. 44. (Eructavit) in 31 geistl. Lesungen angewendet auf U. L. Frau. 8⁰. VIII und 96 S. (Schwabacher Schrift.) a) brosch. M. 1.50, b) geb. Callico M. 3.

Marianischer Kurs, d. i. das kleine Officium Unserer Lieben Frau. 12°. 182 S. mit einem Gebets-Anhange in sehr deutlicher Schwabacher Schrift. a) ordinär geb. Halbleinwand M. —.60, b) geb. wie officium b M. 1.—, geb. wie off. c M. 3.—.

Officium, d. i. Tagzeiten für die Verstorbenen. Mit Gebetsanhang und vielen Illustrationen nach Holbein's Todtentanzbildern. 12° u. 112 Seiten. (Schwabacher Schrift.) a) broschirt M. —.40, b) geb. wie officium b. M. —.80, c) geb. wie officium c M. 3.—.

Clemens Brentano's Chronika eines fahrenden Schülers. Herausgegeben von P. Wilhelm Kreiten, Soc. Jesu. Vielfarb. Umschlag u. goldaufgelegter Titel, reichste altgoth. Ausstattung und 6 Illustrationen von Prof. Steinle. Kleine Fol. IV und 100 Seiten. M. 10.—.

Franz v. Sales Philothea. Für die Jugend bearbeitet v. Domkapitular Frz. Permanne. 16°. VIII. u. 295 Seiten. Ausstattung im Uebergangsstile d. 17. Jahrh. a) broschirt M. 2.—, b) Callico geb. mit Goldpressung M. 4.—, c) ff. braun Lederband mit goldgepresst. Einband und Rothschnitt M. 5.—, d) ebenso geb. mit ciselirtem Schnitt M. 5.50, für Schulprämien in Parthien bedeutend billiger.